



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Opvs Theologicvm**

**Mauro, Silvestro**

**MDCLXXXVII**

Liber decimus continens Tractatus de sacramentis in genere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

# QVÆSTIONVM THEOLOGICARVM LIBER DECIMVS.

De sacramentis in genere.

Ad 3. partem S. Thomæ à quæst. 60. vsque ad 65.



**D**OSTQVAM Sanctus Thomas 3. parte à quæstione prima vsque ad 59. disputauit de Christo, ac de ijs, quæ Christus in carne gessit, & passus est, quæst. 60. & sequentibus disputat de sacramentis à Christo institutis: & primo quidem à quæst. 60. vsque ad 65. inclusiue agit de sacramentis in genere, & quæst. 60. disputat de definitione, essentia, & constitutiuis sacramentorum: quæst. 61. de eorum necessitate: quæst. 62. de primario effectu sacramentorum, qui est gratia: quæst. 63. de secundario effectu sacramentorum, qui est character: quæst. 64. de causa sacramentorum, tum principali, quæ est Deus, tum instrumentali, quæ est Minister: quæst. 65. de numero sacramentorum: quæst. 66. & sequentibus descendit ad agendum de singulis sacramentis in particulari.

ca, cap. de matrimonio, Carlostadius lib. de imaginibus, Zuinglius lib. de vera, & falsa religione, Calvinus lib. 4. institutionum, cap. 14. par. 13. in Scripturis nomen latinum sacramenti, & nomen græcum mysterij non significat signum rei sacræ latentis, sed ipsam rem sacram latentem; ergo non est vsurpandum ad significanda signa nostræ sanctificationis.

3. Respondeo cum S. Thoma sacramentum, de quo loquimur, esse signum rei sacræ obscuræ, & latentis, ac proinde esse in genere signi. Probat Sanctus Thomas. Nam cum plura ordinantur ad aliquid vnum, licet ad illud ordinentur diuersimodè, tamen possunt ab illo vno denominari aliquo nomine communi; ex. gr. à sanitate communi nomine sanj dicitur, non solum animal, quod habet sanitatem in se, sed etiam medicina, quæ est causa effectiua sanitatis, color, qui est signum sanitatis &c. ergo à re sacra potest dici sacramentum, non solum quod continet in se aliquid sacrum secretum, & occultum, sed etiam quod ad hoc sacrum habet ordinem causæ, vel signi &c. sed hic loquimur de sacramento, in quantum est signum rei sacræ occultæ, & latentis: ergo sacramentum, de quo hic loquimur, est in genere signi.

4. Inferitur primo hoc nomen sacramentum deriuari à sacro, & dici quatuor præcipuis modis. Primo apud profanos scriptores sacramentum dicitur pignus, seu pecunia, quæ à litigantibus in loco sacro deponeretur apud Pontificem ethnicum, & sacramenti in hac acceptione mentionem facit Varro lib. 4. de lingua latina, vbi dicit summam huius pecuniæ fuisse quingenta æris.

5. Secundo sacramentum dicitur iuramentum, quod per rem sacram fit, & in hoc sensu iuramentum, quo milites se obligabant militiæ, dicebatur sacramentum militare, cuius mentionem faciunt Salustius in coniuratione Catilinæ, Liuius, & alij. Iuramentum etiam, quod extra militiam fit, à Doctoribus Iuris ciuilibus, & canonicis vocatur sacramentum, vt patet ex textu, quem Sanctus Thomas citat hoc art. in tertio argumento.

6. Tertio apud scriptores sacros, sacramentum latinè, græcè mysterium, dicitur res sacra

Q 2 sacra

## TRACTATVS VI.

De essentia, materia, & forma, & constitutiuis sacramenti.

### QVÆSTIO XLVI.

Virum sacramentum sit in genere signi?

S. Th. quæst. 60. art. 1.

1. Videtur non esse in genere signi: primo quia vt opponunt aliqui grammatici, nomen sacramenti apud Tullium, aliosque scriptores profanos non significat signum rei sacræ, sed solum significat pecuniam in loco sacro depositam à litigantibus, & iuramentum per sacram rem præstitum: ergo male à scriptoribus Ecclesiasticis vsurpatur ad significanda signa nostræ sanctificationis, ac proinde sacramentum non est in genere signi.

2. Secundo vt opponunt aliqui hæretici, nimirum Lutherus lib. de captiuitate babiloni-

Tom. III.

sacra occulta, & latens. In hoc sensu ad Ephesios 1. dicitur, *ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae*, ad Ephes. 3. *quae sit dispensatio sacramenti absconditi à saeculis*, Matthæi 13. *Vobis datum est nosse mysteria regni Cælorum*, Tobiae 22. *Sacramentum Regis abscondere bonum est*.

7. Quarto sacramentum dicitur signum rei sacrae occultae, & latens, & in hoc sensu sumitur ab Augustino, cum lib. 10. de Trinitate cap. 5. dicit: *Sacrificium visibile inuisibile sacrificij sacramentum, id est sacrum signum est*. Quia verò baptismus, confirmatio &c. sunt quaedam signa nostrae sanctificationis occultae, & latens, ideo ab Ecclesia, Concilijs, & Patribus dicta sunt sacramenta, & hoc nomine vocantur à Tertulliano lib. de Præscriptionibus, Cypriano lib. 3. epist. 43. ad Cæciliam, & lib. 2. epist. 32. ad Stephanum, Laurentio lib. 4. diuinarum institutionum, cap. 17. Hilario, Hieronymo, Augustino, & alijs, qui videri possunt apud Vasquez. tom. 2. disput. 127. in 3. par.

8. Inferitur secundo nomen sacramenti non esse omnino æquiuocum, sed analogum, ut insinuat S. Thomas hoc articulo. Ratio est, quia nomina, quae habent plures significationes, non disparatas, sed affines, & in ordine ad vnum, sunt analogia, ut patet exemplo sani; sed nomen sacramenti habet quatuor assignatas significationes affines, & cum ordine ad vnum, hoc est ad rem sacram; ergo est analogum.

9. Inferitur tertio, quod cum ex signis sensibilibus quaedam sint naturalia, quaedam ad placitum, sacramentum est signum ad placitum, & ex diuina institutione. Præterea, cum ex signis ex institutione quaedam non habeant similitudinem & analogiam cum re significata, eo pacto, quo ramus ante tabernaculum est signum ad placitum vini vendibilis, cum quo non habent similitudinem, quaedam habeant similitudinem, cum re significata, ut hieroglyphica, & symbola Aegyptiorum: ex. gr. serpens suam caudam mordens assumebatur ad significandam æternitatem, cum qua habebat similitudinem in eo, quod finis redibat ad principium; sacramenta sunt signa habentia similitudinem cum re significata, ideoque sunt symbola, seu signa symbolica. Denique cum ex signis quaedam sint connexa cum existentia rei significatae, quae dicuntur signa, ex quibus, quia ex his inferri potest existentia rei significatae, quaedam non sint connexa, sacramentum est signum, ex quo infallibiliter connexum cum existentia rei significatae, ut magis explicabitur inferius.

10. Ad 7. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ut enim docet Tullius lib. 1. Academicarum quaestionum, nouis rebus noua nomina sunt imponenda, vel antiqua nomina sunt ipsis applicanda; sed signa nostrae sanctificationis fuerunt de nouo à Christo instituta post Tullium, aliosque præcipuos scriptores latinos; ergo suo iure Ecclesia, & antiquissimi Patres latinae linguae peritissimi illis

applicarunt antiquum nomen sacramenti, ex ratione, quam attulimus ex Sancto Thoma.

11. Ad 2. transeat antecedens, & nego consequentiam. Sicut enim utimur nominibus Trinitatis, Incarnationis &c. licet non inueniantur in Scripturis, ipsisque significamus res, quae in Scripturis inueniuntur; utimur etiam contra Arrianos nomine *Omnius*, quod non inuenitur in Scripturis; sic possumus uti nomine sacramenti ad significanda signa nostrae sanctificationis, licet in hac significatione non vsurpetur in Scripturis. Adde, quod Apollolus ad Ephesios 5. cum loquens de coniugio Adami cum Heua dicit, *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & Ecclesia*, videtur matrimonium Adami cum Heua vocare sacramentum, quia fuit signum rei sacrae occultae, & latens, hoc est spiritualis coniugij Christi cum Ecclesia. Potest tamen Apollolus etiam ita explicari, ut sacramentum magnum vocet ipsum spirituale coniugium Christi cum Ecclesia, quod significatum fuit per coniugium Adami cum Heua. Adde rursus, quod Lutherus videns usum Ecclesiasticum huius nominis displicuisse Carlostadio, & Zuingio, quos insigni odio prosequeretur, studio ipsis contradicendi, talem usum, quem ante reprobauerat, admisit, cumque secuti Lutherani in confessione Augustana signa nostrae sanctificationis passim vocant sacramenta.

## QVAESTIO XLVII.

*Utrum omne signum rei sacrae sit sacramentum?*

S. Tho. quaest. 60. art. 4.

1. **V**idetur non omne signum rei sacrae esse sacramentum; primo quia omnes creaturae sensibiles sunt signa rerum sacrarum, nimirum diuinae sapientiae, & bonitatis, iuxta illud Apostoli ad Romanos 1. *Inuisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur*; sed non omnes creaturae sunt sacramenta; ergo &c.

2. Secundo in lege veteri omnia gesta antiquorum Patrum, & omnes ceremoniae erant signa rei sacrae, hoc est Christi, qui est Sanctus Sanctorum, iuxta illud 1. ad Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis*, & ad Colossens. 2. *Quae sunt umbra futurorum*; sed in lege veteri non omnia gesta, nec omnes ceremoniae erant sacramenta; ex. gr. transitus maris rubri, serpentæneus, manna &c. licet fuerint signa rerum sacrarum, non fuerunt sacramenta; ergo &c.

3. Tertio in lege noua imagines sacrae, aspersio aquae benedictae, consecratio altaris &c. sunt signa rerum sacrarum, & tamen non sunt sacramenta; ergo.

4. Respondeo, quod assignato genere sacramenti, quaerit Sanctus Thomas differentiam, ac definitionem, vel descriptionem con-

vertibilem cum sacramento. Respondet, quod aliqui sacramentum definiuerunt *signum rei sacræ*, & hanc esse definitionem sacramenti insinuat Augustinus, lib. 10. de Ciuit. cap. 5. Verum hæc definitio, nisi aliqua explicatio restringatur, est nimis ampla, & conuenit multis, quæ non sunt sacramenta, vt patet ex tribus argumentis allatis. Ideo Sanctus Thomas allatam definitionem restringens, & explicans, sacramentum definit *signum rei sacræ, in quantum est sanctificans homines*, subintellige exercitè, hoc est per ipsam applicationem talis signi, vt magis explicabitur quæst. 48. proximè sequenti sect. 5. Nominè rei sacræ Sanctus Thomas intelligit præcipuè gratiam sanctificantem, quæ est res maximè sacræ, quia per illam consecramur, & coniungimur Deo.

5. Ad 1. Non omnes creaturæ sensibiles sunt sacramenta, quia licet significant res sacræ, hoc est diuinam sapientiam, & bonitatem, tamen illas significant, in quantum sunt res sacræ secundum se, non autem in quantum sanctificant homines per ipsam applicationem talium signorum.

6. Ad 2. In lege veteri ceremoniæ, quæ ordinabantur ad significandum Christum vt sanctum secundum se, non erant sacramenta: at quæ ordinabantur ad hominem suo vsu sanctificandos, vt immolatio agni paschalis, erant sacramenta, vt explicabitur iam qu. 48. sect. 4.

7. Ad 3. In lege noua imagines sacræ, aqua benedicta, consecratio altaris &c. non sunt sacramenta, quia ordinantur ad hominem disponendum ad sanctitatem, non autem ad suo vsu sanctificandum, vt magis explicabitur quæst. 48. sect. 4. Sacramentum autem, dicitur signum suo vsu, non solum disponens ad sanctitatem, sed etiam sanctificans. Vt explicetur doctrina Sancti Thomæ, & afferatur clara definitio sacramenti, sit.

### QVAESTIO XLVIII.

*Virum sacramentum bene definiatur signum sensibile, symbolicum, ex diuina institutione, humano ministerio, & modo, stabili lege præscriptum, infallibiliter consecrans, & sanctificans hominem?*

1. Videtur non bene defini: primo quia, sacramentum non solum est signum, sed etiam est causa nostræ sanctificationis; sed nobilius est prædicatum causæ, quam signi; ergo debet potius defini per hoc, quod sit causa, quam per hoc, quod sit signum. Debet enim defini per prædicatum nobilius.

2. Secundo videtur ad sacramentum non requiri, vt sit signum sensibile. Deus enim potuisset instituere aliqua signa purè spirituala, & intelligibilia ad sanctificandos Angelos; sed hæc fuissent sacramenta: ergo &c.

3. Tertio corpus; & sanguis Christi in Eucharistia sunt sacramentum; sed in Eucharistia non sunt sensibilia; ergo &c.

4. Quarto videtur ad sacramentum non requiri, vt sit signum symbolicum, hoc est non consistens in solis verbis, sed in aliquibus rebus habentibus similitudinem, & analogiam cum re significata. In sacramento enim matrimonij non adhibentur alia signa, quam verba, vel nutus, quibus coniuges exprimunt mutuum consensum; in sacramento poenitentiae non adhibentur alia signa, quam verba, quibus poenitens confitetur peccata, sacerdos absoluit; ergo &c.

5. Quinto videtur non requiri, vt sit signum significans ex institutione diuina. In sacramento enim poenitentiae verba absoluta, *absolua te à peccatis tuis*, ex institutione humana significant suum effectum, hoc est absolutionem à peccatis.

6. Sexto videtur ad sacramentum non requiri, vt exhibeatur humano ministerio. Nam narrantur aliquando Angeli ministrasse sacramentum baptismi: ergo &c.

7. Septimo videtur ad sacramentum non requiri, vt stabili lege sanctificet hominem. Insufflatio enim, qua Christus Io. 20. dedit Apostolis potestatem remittendi peccata, fuit sacramentum ordinis; sed insufflatio non fuit stabili lege, sed extraordinariè adhibita ad hominem sanctificandum: ergo &c.

8. Octauo videtur non requiri ad sacramentum, vt sanctificet per se ipsum. Circumcisio enim erat sacramentum, & tamen non sanctificabat per se ipsam, sed per fidem: ergo &c.

9. Nono videtur non requiri ad sacramentum, vt sanctificet infallibiliter. Nam, baptismus, confirmatio &c. possunt esse valida, & informia, hoc est carentia effectû sanctificandi: ergo &c.

10. Decimo hæc definitio conuenit pluribus, quæ non sunt sacramentum: ergo non est bona.

11. Undecimo allata definitio deberet coincidere cum aliis definitionibus communiter receptis; sed non eoincidit; ergo &c.

12. Respondeo, quod vt afferamus definitionem sacramenti, primo explicandum est, qua via, & qua methodo sacramentum debeat defini: secundo ostendendum est genus sacramenti esse, vt sit sacræ ceremoniæ, & afferenda est differentia sacramenti ab aliis sacræ ceremonijs: tertio proponenda est definitio sacramenti per finem, & ex ea inferenda est definitio perfecta explicans alias causas, præsertim intrinsecas sacramenti: quarto afferenda est ratio, quare quædam, quæ sunt affinia sacramentis, non sint sacramenta: quinto explicandæ aliæ definitiones sacramenti: sexto demum soluendæ sunt obiectiones propositæ. Hæc autem maioris distinctionis gratia sex sectionibus præstabimus.

## SECTIO PRIMA

*Qua via, & metodo sacramentum sit definiendum?*

13. **E**X doctrina Aristotelis 2. posteriorum textu 3. & Sancti Thomæ in comment. ea, quæ per suam essentiam ordinantur ad aliquem finem, & usum, habent duplicem definitionem, alteram imperfectam, & solum per finem, alteram perfectam explicantem etiam alias causas, præsertim intrinsecas, hoc est materiam, & formam: & quia ratio materiæ, & formæ desumitur ex fine: vnumquodque autem demonstratur per suam rationem, & causam, ideo definitio explicans materiam, & formam demonstratur per definitionem, quæ explicat finem. Exemplis explicatur, quod dictum est. Quia serra ordinatur ad finem, & usum secandi, ideo definitur per talem finem, & usum, dicendo, *Serra est instrumentum aptum ad secandum*. Verum hæc definitio per finem est imperfecta, cum non explicet, quale secundum suam intrinsecam constitutionem debeat esse instrumentum aptum ad secandum. Hoc autem explicatur per definitionem adidentem materiam, & formam serræ, & dicentem: *Serra est ferrum dentatum aptum ad secandum*. Rursus ratio, cur secundum materiam serra debeat esse ferrea, secundum formam artificialem debeat esse dentata, est, quia debet esse apta ad secandum. Hæc enim aptitudo requirit materiam duram, & non frangibilem, quale est ferrum, & formam dentatam. Ex eo, quod serra est instrumentum aptum ad secandum, demonstratur, quod secundum materiam debeat esse ferrea, secundum formam dentata, adeoque definitio explicans materiam, & formam serræ explicatur per definitionem, quæ explicat solum finem, & ex utraque componitur perfecta definitio serræ. Eodem pacto debent definiiri omnia instrumenta, tum artificialia, tum naturalia. Cum igitur sacramenta per suam essentiam ordinentur ad aliquem finem, & usum, debent primo definiiri per finem, ac deinde ex definitione per finem inferenda est definitio perfecta per materiam, & formam.

## SECTIO II.

*Ostenditur genus sacramenti.*

14. **E**xplicata via, & metodo, qua definiti debet sacramentum, assignandum est genus Theologicum sacramenti. Genus theologicum sacramenti est, ut sit sacra quædam ceremonia. Probat: nam quia homo constat ex anima, & corpore, non solum debet colere Deum cultu intelligibili, qui exhibetur per actus solius animæ, ac præsertim per actus fidei, spei, & charitatis, sed etiam cultu sensibili, qui exhibetur per res sensibiles, ac corporeas, & per actiones externas,

quibus feruitatem Dei profitemur; sed cultus Deo exhibitus per externas actiones, & res, in Scripturis vocatur ceremonialis, ideoque præcepta positiva, quibus Deus in lege veteri determinauit modum colendi Deum per res externas, à Theologis cum Sancto Thoma, quod 91. art. 3. vocantur præcepta ceremonialia: ergo necessaria sunt sacra ceremonialia; sed sacramenta spectant ad cultum externum Dei, ut patet inductione omnium sacramentorum: ergo sacramenta continentur sub genere sacrarum ceremonialium.

15. **Dices**: si genus sacramenti est, ut sit sacra ceremonia, quare in definitionibus sacramenti, quæ communiter afferuntur, hoc genus non exprimitur?

16. **Respondeo** sæpè in definitionibus genus ut notum supponi, & non exprimi, sed subintelligi: ex. gr. cum punctum definitur cuius pars nulla est, supponitur ut notum genus puncti, quod est, ut sit aliquid continui, ac solum exprimitur differentia. Quod autem illud genus debeat in definitione puncti supponi, ac subintelligi, patet. Nam alioquin definitio puncti conueniret Deo, qui nullam habet partem. In casu nostro in definitionibus sacramenti auctores supponunt ut notum sacramentum esse sacram ceremoniam.

17. **Ut inueniamus differentiam sacramenti ab alijs sacris ceremonijs, proponenda est diuisio ceremonialium, earumque ad intrinsecam differentiam.** Sacra ceremonialia ex Sancto Thoma 1. 2. quæst. 101. art. 4. alijsque communiter, diuiduntur in sacrificia, sacramenta, ieiunia, & obseruantias. Ratio est, quia et dictis ceremonialijs completuntur omnia, quæ spectant ad cultum externum Dei; sed ad cultum externum Dei primo spectat, ut Deum colamus quibusdam externis sacrificijs, oblationibus, adorationibus &c. secundo, ut quasdam personas diuino cultui consecremus: tertio, ut qui sunt diuino cultui dicati, obseruent singularem quemdam modum viuendi, in cibus, vestimentis, & alijs huiusmodi, per quem modum viuendi discernantur ab hominibus profanis; quarto demum, ut dentur quædam res diuino cultui dicatæ, ex. gr. dies solemnes, templa, sacra vasa, & instrumenta &c. ergo sacra ceremonialia diuiduntur in hæc quatuor; sed actus, quibus colitur Deus, comprehenduntur nomine sacrificij; siquidem oblationes, adorationes, orationes, laudes, & alia huiusmodi, quibus debent comitari sacrificia, reducuntur ad sacrificia, sicut accessorium ad principale: ea per quæ consecrantur cultores Dei, vocantur sacramenta, ad quæ reducuntur omnia sacramentalia: rursus quæ in modo viuendi debent obseruari à cultoribus Dei, vocantur obseruantia: instrumenta, & res Deo dicatæ ad quæ reducuntur etiam dedicationes, & consecrationes talium rerum, & instrumentorum, ex. gr. consecrationes templorum, vocantur sacra: ergo sacra ceremonialia diui-

diuiduntur in sacrificia, sacramenta, obseruantias, & sacra.

18. Hinc inferitur primò differentia sacramentorum, & sacramentalium ab alijs sacris ceremonijs, quæ differentia consistit in hoc, vt sacramenta, vel sacramentalia sint, quæ spectant ad personas diuino cultui consecrandas, cum aliæ ceremoniæ non spectent ad hoc. Differentia sacramentorum propriè dictorum à sacramentalibus explicabitur infra, sect. 4.

19. Inferitur secundo finem sacramentorum esse consecrationem personarum.

### SECTIO III.

*Propositur definitio sacramenti.*

20. **E**X dictis sequitur sacramentum definitione imperfecta, ac per causam finalitèr definiti ceremoniam ordinatam ad homines diuino cultui consecrandos.

21. Ex tradita definitione imperfecta possunt inferri conditiones ad sacramentum requisitæ, tum ex parte materiæ, tum ex parte formæ, adeoque definitio perfecta explicans omnes causas sacramenti. Sacramenta ex dictis sunt sacra ceremoniæ ordinatæ ad homines diuino cultui consecrandos; sed homines debent diuino cultui consecrari modo humano: ad modum autem humanum spectat, vt consecrentur per alios homines, & per quædam signa sensibilia, non consistentia in nudis verbis, sed in rebus habentibus similitudinem analogicam cum effectu consecrationis, vt patet ex eo, quod apud omnes gentes, & sectas sacerdotes, ac reges, non nudis verbis, sed per signa symbolica consecrantur; ergo sacramenta debent esse signa sensibilia, symbolica, per quæ homines humano ministerio, & modo consecrentur Deo. Rursus consecrare est reddere rem aliquam aptam ad cultum diuinum in suo genere: ex gr. consecrare calicem est reddere illum aptum ad cultum diuinum in genere calicis, hoc est ad hoc, vt in eo offeratur sanguis Christi; ergo vera consecratio hominis debet reddere hominem aptum ad colendum Deum in genere hominis; sed cultus ab homine præstandus Deo consistit principaliter in actibus internis fidei, spei, & charitatis, minus principaliter in externis sacrificijs, alijsque actionibus externis interiorum actuum significatiuis: ergo vera hominis consecratio debet habere vim tribuendi homini aptitudinem ad colendum Deum, non solum per sacrificia, & actus externos, sed etiam per internos actus fidei, spei, & charitatis: & quia hæc aptitudo tribuitur homini per gratiam sanctificantem, & habitus infusos supernaturales, vera consecratio debet habere vim tribuendi homini habitus infusos, & gratiam sanctificantem, quæ sola est vera sanctitas hominis; sed nullum signum sensibile potest habere vim tribuendi homini

gratiam sanctificantem, nisi ex diuina institutione, & promissione: ergo sacramentum debet esse signum sensibile à Deo institutum ad consecrandum, & sanctificandum hominem per gratiam sanctificantem. Ex his omnibus conditionibus conflatur integra definitio sacramenti, quæ est: *signum sensibile symbolicum ex diuina institutione, humano ministerio, & modo, stabili lege, per se ipsum consecrans, & sanctificans hominem.*

22. Potest opponi allatam definitionem non conuenire sacramentis veteris legis, quippe quæ, vt infra dicitur, qu. 72. non consecrabant sanctitatem, & gratiam sanctificantem.

Respondeo, quod analogia non debent definiti vnica definitione, sed pluribus, nisi tamen in vnica definitione ponatur disunctio, per quam æquiualeat pluribus: ex gr. quia homo, & umbra hominis conueniunt analogicè in nomine hominis, ideò non debent definiti vnica definitione, nisi in tali definitione ponatur disunctio, dicendo ex gr. quod homo est animal rationale verum, vel vibratile; sed sacramentum dicitur analogicè de antiquis, & nouis, vt docet Sanctus Thomas in 4. dist. 1. quæst. vnica, quæst. 3. ad 3. ergo &c. Si verò velimus antiqua sacramenta comprehendere, addendo aliquam distinctionem, debemus sacramentum sic definire. *Sacramentum est signum &c. sanctificans hominem sanctitate vera, vel figuratiua.* Quid sit sanctitas figuratiua ex professo explicabitur infra.

23. Allata definitio primo explicat rationem, propter quam sacramentis tributum fuit nomen græcum mysterij, ac nomen latinum sacramenti. Mysterium, vt docet Bellarminus, tomo 3. controuerf. lib. 1. cap. 8. dicitur à verbo *myeo*, quod significat initio, seu factis imbuo, & consecro, ideoque mysteria dicebantur sacrorum antistites, qui alios initiabant, & consecrabant. Consonat nomen, quo hebræi vocant sacramentum, quod pariter significat initiationem, seu consecrationem, vt docet Bellarminus loco citato. Nomen etiam latinum sacramenti dicitur à sacrando, sicut medicamentum dicitur à medicando; sed iuxta definitionem allatam sacramenta sunt signa instituta ad homines consecrandos: ergo definitio allata explicat rationem nominum, quibus sacramenta vocantur ab Hebræis, Græcis, & Latinis.

24. Adde primo, quod nomen sacramenti, etiam in quantum apud scriptores profanos significat sacramentum militare, oppignorationem, & iuramentum, apud scriptores sacros significat rem arcanam, & signum rei sacræ, congruentissimè fuit applicatum sacramentis christianis: siquidem per ipsa initiamur militiæ Christi, oppigneramur Deo, & sacramenta continent diuinam institutionem, & promissionem, qua Deus iurauit per se ipsum se daturum per sacramenta gratiam. Continent etiam vim sanctificandi per dona gra:

gratiæ, quæ vis infidelibus est maximè arcana, & sunt signa sensibilia maximorum arcanorum.

25. Addo secundo, quod nomen sacramenti, in quantum significat signa verè consecranta, solis sacramentis christianis conuenit; siquidem per ipsa sola homines consecrantur, & fiunt sancti. Ceremoniæ autem ab infidelibus institutæ ad homines consecrandos, non tam habent vim illos faciendi sacros, & sanctos, quam faciendi sacrilegos, & scelerosos, ideoque Clemens Alex. in oratione exhortatoria ad gentes, irridens mysteria, seu sacramenta, quibus gentiles consecrabant suos ministros, dicit, illa posse vocari mysteria à mylos, quod græcè significat scelus, quia homines non reddebant sanctos, sed scelestos, vel à mythos, quod significat fabulam, quia erant fabulosa.

26. Secundo allata definitio insinuat differentiam sacramentorum nouorum ab antiquis, quæ consistit in hoc, quod noua habent vim verè consecrandi, conferendo veram sanctitatem, antiqua figuratiuè solum, ac representatiuè consecrabant, conferendo quandam sanctitatem figuratiuam, de qua agetur inferius.

27. Tertio allata definitio explicat omnes causas sacramenti. Causa finalis, seu finis, & simul effectus primarius sacramenti, est consecratio hominis per sanctitatem veram, vel figuratiuam. Causa materialis, seu materia sacramenti sunt symbola sensibilia, hoc est res sensibiles habentes similitudinem analogicam cum sanctificatione hominis: ex. gr. materia proxima baptismi est ablutio sensibilibus per aquam, habens similitudinem analogicam cum spiritali emundatione à peccatis per gratiam. Causa formalis duplex est: altera purè intelligibilis, per quam signa sensibilia constituuntur vltimo in ratione sacramenti; & hæc est virtus infallibiliter significandi, & causandi sanctificationem hominis, quam virtutem sacramenta habent ex diuina institutione: altera sensibilis, & non vltima, & hæc in nouis sacramentis sunt verba: ex. gr. forma sensibilis baptismi sunt illa verba *Ego te baptizo &c.* Causa efficiens, principalis, & institutiua sacramenti, est Deus promittens se per illa, tamquam per instrumenta sanctificationum homines. Causa efficiens instrumentalis est homo operans, vt minister Dei, & humano modo, hoc est cum intentione operandi nomine Dei. Omnia hæc explicantur per allatam definitionem. Particula enim illa *signum sensibile symbolicum* explicat materiam sacramenti, quæ sunt res sensibiles habentes similitudinem analogicam cum sanctificatione hominis. Particula *ex diuina institutione, & promissione* explicat causam efficientem principalem, quæ est Deus. Particula *humano ministerio, & modo*, explicat causam efficientem instrumentalem, quæ est minister. Particula *per se ipsum consecrans, & sanctificans hominem,*

explicat formam vltimam sacramenti, quæ est virtus infallibiliter significandi, & causandi sanctificationem hominis, conueniens sacramentis ex diuina institutione, & promissione. Explicat etiam causam finalem, & effectum primarium sacramenti, qui est sanctificatio hominis.

#### SECTIO IV.

*Explicatur, cur multa, quæ sunt affinia sacramentis, non sint propriè sacramenta.*

28. **E**X tradita definitione possumus explicare, cur multa, quæ sunt affinia sacramentis, verè non sint sacramenta.

29. Quæritur igitur primo, cur sacra Scriptura non sit sacramentum, cum sit signum institutum ad homines humano modo sanctificandos, & contineat diuinam promissionem sanctificandi homines per Scripturam, hoc est per Verbum Dei, eiusque prædicationem.

30. Respondeo dupliciter posse aliquod signum esse institutum ad homines sanctificandos: primo ad sanctificandum per seipsum, ita vt non solum exciet actus fidei, ac deuotionis, quibus homo sanctificetur, sed ipsum signum per se ipsum tribuat sanctitatem vltra illam, quæ acquiritur actibus fidei, ac deuotionis in homine excitatis. Secundo potest esse institutum purè ad excitandos actus fidei, & deuotionis, quibus homo sanctificetur, ita vt signum nullam aliam sanctitatem conferat per se ipsum. Primus modus sanctificandi dicitur à Theologis ex opere operato secundum ex opere operantis. Sacramentum est signum institutum ad homines sanctificandos ex opere operato, hoc est per ipsum signum, & hoc significant verba illa definitionis, *per se ipsum consecrans, & sanctificans hominem*. Sacra Scriptura, prædicatio Evangelii, & alia huiusmodi, sunt signa instituta solum ad excitandam fidem, & deuotionem, quæ sanctificent hominem ex opere operantis, ita vt nullam habeant vim sanctificandi ex opere operato.

31. Ex hac doctrina inferitur, cur sacra imagines, cruces, & multæ ceremoniæ institutæ ad homines sanctificandos solum per excitationem fidei, ac deuotionis internæ, non autem ex opere operato, non sint sacramenta.

32. Quæritur secundo, cur transitus maris rubri, qui fuit symbolum per se ipsum conferens aliquam sanctitatem legalem figuratiuam verè sanctitatis conferendæ per baptismum, iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 10. *omnes baptizati sunt in nube, & in mari*, tamen non fuerit sacramentum.

Respondeo, quod si transitus maris rubri contulit Iudæis aliquam sanctitatem, nihilominus non fuit sacramentum, quia non fuit ad hoc institutus stabili lege. Ad institutionem siquidem stabili lege non sufficit, vt ali-

aliquod symbolum semel, aut iterum assumatur ad sanctitatem significandam, & conferendam, sed requiritur, vt detur illi virtus ordinaria sanctitatem significandi, & conferendi; sed transitus maris rubri fuit semel tantum assumptus ad conferendam Iudæis sanctitatem legalem figuratiuam veræ sanctitatis conferendæ in baptismo, non autem fuit illi data virtus ordinaria stabili lege sanctificandi legaliter; ergo &c.

33. Hinc inferitur, cur quædam symbola, quibus fortasse Christus fuit vsus ad homines sanctificandos etiam ex opere operato, non fuerint sacramenta: ex. gr. cui non fuerint sacramenta mandationes leproforum, illuminationes cæcorum &c. licet fortasse Christus fuerit illis vsus, tanquam symbolis, ad illos, quos mundabat, & illuminabat, sanctificandos ex opere operato. Ratio est, quia hæc symbola non fuerunt, stabili lege instituta ad homines ordinarie sanctificandos. Ex eadem ratione visitatio, qua Beata Virgo visitauit Elisabeth, licet admittamus, quod fuerit symbolum ex opere operato sanctificans Ioannem, tamen non fuit sacramentum.

34. Queritur tertio, cur serpens æneus non fuerit sacramentum.

Respondeo rationem esse, quia vt docet Sanctus Thomas in 4. sent. disp. 1. art. 1. qu. 1. ad 3. serpens æneus non fuit institutus ad homines sanctificandos, etiam legaliter, sed solum ad illos curandos ab ægritudine propria, & ad figurandum Christum in cruce exaltatum, per quem curandi eramus à peccatis, iuxta illud Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.*

35. Queritur quarto, cur generatio filiorum in statu innocentie non fuisset sacramentum, vt patet ex Sancto Thoma, qui hac 3. par. quæst. 61. art. 2. docet, quod in statu innocentie nulla fuissent sacramenta. Ratio dubitandi est, quia illa generatio carnalis fuisset symbolum generationis spiritualis per gratiam, & habuisset vim ordinariam sanctificandi homines nascentes, ex diuina promissione, qua promiserat Adamo, quod si innocentiam seruasset, omnes, qui ex ipso generarentur, in prima conceptione sanctificarentur per gratiam, & iustitiam originalem.

Respondeo sacramentum ex dictis esse symbolum ad homines humano modo sanctificandos institutum; sed ad sanctificandum humano modo requiritur intentio ministri, conceptio autem filiorum in statu innocentie sanctificasset filios generatos independenter ab omni intentione generantium: ergo illa conceptio non fuisset sacramentum. Ex eadem ratione martyrism, licet admittamus, quod habeat vim sanctificandi ex opere operato, vt aliqui Theologi docent, tamen non est sacramentum, quia non requiritur, vt persecutores habeant intentionem operandi nomine Dei, & martyres sanctificandi, adeo-

Tom. III.

que non est symbolum institutum ad homines humano modo sanctificandos. Passio etiam Christi nõ fuit sacramentum ex eadem ratione.

36. Queritur quinto, cur sumptio Eucharistie non sit sacramentum, neque pars essentialis, aut integralis sacramenti, sed mera applicatio sacramenti.

Respondeo rationem esse, quia ex allata definitione sacramentum est symbolum ex diuina institutione per se ipsum sanctificans hominem, ideoque ex diuina institutione debet habere vim sanctificandi; sed vt contra Lutherum loquitur Tridentinum sess. 13. cap. 3. *Illud in Eucharistia excellens, ac singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur, at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante vsum est; ergo cum in Eucharistia tota vis sanctificandi præcedat vsum, ipse vsum non est virtus sanctificandi, sed pura applicatio virtutis, ac proinde vsum Eucharistie non est sacramentum, sed mera applicatio sacramenti.* Ex opposita ratione oleum ab Episcopo benedictum ante vsum non est sacramentum confirmationis, sed solum est materia sacramenti, quia ante vsum non habet vim sanctificandi, sed illam accipit in ipso vsum.

37. Queritur sexto, cur sacramentalia non sint sacramenta. Nomine sacramentalium, comprehendimus primo actiones externas, & religiosas, conferentes ad decentem, & deuotam administrationem sacramenti, sed non necessarias ad valorem sacramenti. Secundo comprehendimus quædam affinia sacramentis, qualia sunt prima tonsura, absolutio ab excommunicatione, & à censuris, aspergio aquæ benedictæ, benedictio Abbatis &c.

Respondeo rationem, cur nullum ex his sit Sacramentum, esse, quia nullum ex his ex diuina institutione habet vim sanctificandi ex opere operato, sed solum sunt ritus ab Ecclesia instituti ad alios fines: ex. gr. prima tonsura est instituta ad homines præparandos ad susceptionem ordinis; ceremonie sacramentales sunt ritus instituti ad decentem, & deuotam sacramentorum administrationem; aspergio aquæ benedictæ est instituta ad fugandos demones. Cum verò Alex. 1. vt refertur de consecrat. distinct. 3. Canone *Aqua dicit, aquam sale conspersam, & diuinis precibus consecratam, populum sanctificare &c.* loquitur de sanctificatione impropria, externa, & pure dispositiua ad veram sanctitatem, quæ non sufficit ad sacramentum, vt docet Sanctus Thomas hac quæst. 60. artic. 2. ad 3.

## SECTIO V.

*Proponuntur, & explicantur alie definitiones sacramenti.*

38. **S**Vperest, vt alias definitiones proponamus, & explicemus, ac simul ostendamus

R

mus

mus condiciones in nostra definitione expressas esse de essentia sacramenti.

39. Tres condiciones in nostra definitione exprimuntur. Prima est, vt sacramentum sit signum sensibile symbolicum. Secunda vt ex diuina institutione sit significatiuum, & causatiuum nostræ sanctificationis. Tertia, vt per ipsum homines humano modo, ac ministerio consecrentur, & sanctificentur. Dico igitur, quod omnes definitiones ab authoribus allatæ tres istas condiciones, vel exprimunt, vel ex mente authorum definitiuum sacramentum supponunt, ac subintelligunt. Et quidem tertiam conditionem, quod nimirum per sacramenta homines consecrentur, & sanctificentur humano modo, & ministerio, omnes supponunt, tamquam contentam in genere sacramenti. Vt enim docet S. Thomas 1. 2. quæst. 101. art. 4. sacramentum est sub in genere sacræ ceremoniæ, & vt idem docet qu. 102. artic. 5. sacramenta propriè dicuntur ceremoniæ, quæ adhibebantur à Dei cultoribus ad quorundam consecrationem; sed ceremoniæ, quæ adhibentur à Dei cultoribus ad quorundam consecrationem, adhibentur humano ministerio, & humano modo, ac cum intentione aliquos consecrandi; ergo omnes supponunt de essentia sacramenti esse, vt per ipsum homines consecrentur, & sanctificentur, humano ministerio, & modo, & cum intentione eos consecrandi. Hæc conditione supposita, tanquam inclusa in genere sacramenti, quod genus, vt dictum est lect. 2. non expresserunt, sed supposuerunt, duas alias condiciones authores definitionum afferendum, vel expresserunt, vel subintellegerunt, vt iam patebit.

40. Primo Magister sententiarum in 4. dist. vnica sacramentum definit, *inuisibilis gratiæ visibilis forma, ita vt illius imaginem gerat, & causa existat.* Per illam particulam *forma visibilis inuisibilis gratiæ* exprimit primam conditionem, quod nimirum sacramentum sit signum sensibile symbolicum, per alteram particulam, *ita vt illius imaginem gerat, & causa existat*, exprimit secundam conditionem, quæ est, vt sacramentum ex diuina institutione habeat vim significandi, & causandi gratiam, qua sanctificamur.

41. Secundo Sanctus Thomas in 1. sent. dist. 1. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 1. & August. 10. de Ciuitat. cap. 1. sacramentum definit *signum rei sacræ, vt sanctificantis nos.* Hanc definitionem explicans, subdit: *Oportet, vt subintelligatur talis modus significandi, qui est per similitudinem rei sensibilis;* ergo Sanctus Thomas partim exprimit, partim subintelligit primam conditionem, quod sacramentum sit signum symbolicum, hoc est habens similitudinem cum re significata. Rursus expressè ibidem dicit, quod sacramentum dicitur à sacrando, quia est signum practicum, siue adiuuum sanctitatis, & quod sanctificat hominem humano modo; ergo exigit secundam conditionem,

42. Tertio Melchior Cans prælectione de sacramentis, par. 1. sacramentum definit, *signum rei sacræ, aliquam sanctitatem conferens, saltem imperfectam.* Hæc definitio est eadem cum definitione Sancti Thomæ, & ad comprehendenda sacramenta antiqua addit illam particulam *saltem imperfectam.* Ideo exprimit, vel subintelligit easdem condiciones, quas definitio Sancti Thomæ.

43. Quarto Sanctus Gregorius relatus cap. Multi 1. quæst. 1. sacramentum definit, *id, in quo sub tegumento rerum visibilium diuina virtus secretius operatur salutem.* Hæc definitio per primam particulam *sub tegumento rerum visibilium* exprimit primam conditionem, vt nimirum sacramenta sint signa symbolica; per alias particulas exprimit secundam conditionem, *vt sacramenta ex diuina institutione habeant vim significandi, & causandi nostram sanctificationem, & salutem.*

44. Quinto Hugo de Sancto Victore lib. 1. de sacramentis, par. 9. sacramentum definit *materiale elementum, ex institutione significans, ex similitudine representans, & ex sanctificatione continens aliquam spiritualem gratiam.* Hæc definitio per *ly materiale elementum ex similitudine significans*, exprimit primam conditionem, quod sacramentum debeat esse signum symbolicum; per *ly ex institutione, & sanctificatione continens aliquam spiritualem gratiam*, exprimit secundam conditionem, quod nimirum sacramentum debeat esse institutum ad nostram sanctificationem significandam, & causandam.

45. Sexto Catechismus Romanus sacramentum definit *res sensibus subiecta, quæ ex diuina institutione sanctitatis vim significandæ, cum conferendæ vim habet.* Per primam particulam exprimit primam conditionem, vt sit signum symbolicum, per alias exprimit secundam conditionem, vt ex diuina institutione habeat vim significandi, & causandi gratiam.

46. Septimo Scotus in 4. distinct. 1. qu. 2. sacramentum definit, *signum sensibile gratiæ Dei, vel effectus Dei gratuiti, ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominū viatoris.* Hanc definitionem explicans dicit, *per illam particulam signum sensibile intelligitur idem, quod Magister sententiarum in sua definitione intelligit per particulam forma visibilis;* sed Magister intelligit signum symbolicum, vt dictum est; ergo etiam Scotus. Per alias particulas, *ex institutione diuina efficaciter significans &c.* exprimit secundam conditionem, quæ est, vt ex institutione diuina sit significatiuum, & causatiuum gratiæ.

47. Octauo demum Suarius tom. 3. in 3. par. disp. 1. lect. 4. sacramentum definit *signum sensibile ad sanctitatem aliquam conferendam, & veram animæ sanctitatem significandam ordinatum; vel ceremonia sacræ, & sensibilis aliquo modo sanctificans, & veram animæ sanctitatem ex institutione significans.* Per illas particulas *signum sensibile, vel ceremonia sacræ, & sensibilis* exprimit primam

primam conditionem, vt sit signum symbolicum. Per alias particulas exprimit secundam conditionem, vt ex diuina institutione significet, & causet nostram sanctificationem. Ex dictis patet omnes allatas definitiones exprimere, vel subintelligere conditiones sacramenti, quæ in nostra definitione exprimitur, quæ proinde coincidit cum alijs, illasque explicat.

## SECTIO VI.

*Soluuntur obiectiones propositæ.*

48. **A**D 1. Sacramentum sicut est signum simul, & causa nostræ sanctificationis, sic definitur per hoc, quod sit signum, per se ipsum sanctificans, hoc est causans sanctificationem. Sicut ratio causæ est nobilior, quam ratio signi, sic ratio causæ, hoc est ratio sanctificantis, exprimitur loco differentie, quæ est nobilior, ratio signi exprimitur loco generis, quod est ignobilius. Adde sacramentum eatenus esse causam sanctificationis, quatenus est signum ex diuina institutione significans se habere vim causandi gratiam, quam significat; ergo virtus causandi fundatur in significatione; sed hoc ipsum exprimitur in definitione, cum dicitur sacramentum esse signum ex diuina institutione per se ipsum sanctificans; ergo definitio ex hoc etiam est optima, quia non solum exprimit sacramentum esse signum causatiuum, sed etiam exprimit virtutem causandi fundari in significatione.

49. Ad 2. Hoc loco definiuimus solum sacramenta humana, quia cum sola hæc de facto dentur, nomen sacramenti de facto impositum est solum ad significanda sacramenta humana. Si verò Deus instituisset symbola spiritualia sanctificantia Angelos, posset nomen sacramenti extendi etiam ad illa significanda, & tunc sacramentum hominibus, & Angelis commune non deberet definiri *symbolum sensibile*, sed *symbolum quomodocumque*.

50. Ad 3. Respondeo primo ex Sancto Thoma in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 3. corpus, & sanguinem Christi in Eucharistia esse sensibilia per accidens, hoc est secundum accidentia panis, & vini, quibus subsistant. Respondeo secundo cum alijs sufficere, vt id, quod est sacramentum tantum, hoc est, quod significat, & non significatur sit per se sensibile: sed in Eucharistia sacramentum tantum sunt species panis, & vini, ac verba consecrationis; ergo sufficit, vt hæc sint sensibilia per se, quod autem est res, & sacramentum, hoc est significat simul, & significatur, non requiritur, vt sit sensibile per se, sed sufficit, vt sit sensibile per accidens; sed corpus, & sanguis Christi sunt res simul, & sacramentum: nam significantur per species, & verba consecrationis, & simul significant gra-

Tom. III.

tiam conferendam fumentibus Eucharistiam; ergo non requiritur, vt sint per se sensibilia.

Respondeo tertio ex Scoto, quod ad sacramentum sufficit, vt aliquid illius sit sensibile; sed sacramentum Eucharistiæ ultra corpus, & sanguinem Christi includit species, & verba consecrationis, quæ sunt sensibilia per se; ergo ratione ipsorum dicitur signum sensibile.

51. Ad 4. distinguo antecedens: in sacramento matrimonij non adhibentur alia signa, quam verba secundum significationem directam, quæ non est symbolica, concedo; secundum significationem reflexam, quæ est symbolica, nego; & nego consequentiam; Nomine signi symbolici intelligimus id, quod propter similitudinem analogicam, quam habet cum aliquo alio, assumitur ad illud significandum; sed in sacramento matrimonij verba, quibus coniuges celebrant contractum matrimonij, assumuntur ad significandum, & causandum matrimonium spirituale, quo Deus desponsatur animæ per gratiam; assumuntur etiam ad significandam coniunctionem humanitatis cum Verbo, & Christi cum Ecclesia, vt docet Apostolus ad Ephes. 5. ergo sacramentum matrimonij est signum symbolicum. Verba igitur, quibus matrimonium perficitur, habent duplicem significationem, alteram symbolicam, alteram non symbolicam. Significatio directa, ac non symbolica est, per quam verba significant mutuum consensum coniugum, cum quo consensu verba nudè sumpta nullam habent similitudinem analogicam. Significatio reflexa, & symbolica est, per quam verba, vt significantia consensum coniugum, assumuntur ad significandum matrimonium spirituale, quo Deus desponsat animam per gratiam. Proportionaliter in sacramento penitentiae verba, quibus penitens confitetur peccata sacerdoti vt iudici, & obtinet ab illo absolutionem, symbolicè significant peccatorem à Deo iudice obtinere remissionem peccatorum per gratiam sanctificantem. Cum igitur dicimus sacramentum esse signum sensibile non consistens in solis verbis, sensus est, quod non consistit in verbis, quatenus purè verba sunt, habentia significationem non symbolicam: siquidem verba quatenus habent significationem symbolicam habent rationem rerum. Porro significationem symbolicam esse de essentia sacramenti docuit expressè S. Augustinus Epist. 23. ad Bonifacium, dicens. *Si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sunt sacramenta, non haberent, omninò sacramenta non essent.*

52. Ad 5. distinguo antecedens: in sacramento penitentiae verba absolutionis ex institutione humana significant remissionem peccatorum, significatione directa, naturali, & fallibili, concedo; significatione reflexa, supernaturali, & infallibili, nego. Verba ab-

P 2

solu-

solutionis directè significant, quod sacerdos absoluit, & hæc significatio est merè naturalis, fallibilis, & ex placito hominum: reflexè significant, quod Deus per sacerdotem infallibiliter absoluit, & hæc significatio est supernaturalis, & ex diuina institutione, ac promissione: ergo sacramentum pœnitentiæ ex diuina institutione est signum infallibile remissionis peccatorum. Adde, quod est signum, *ex quo*, quia ex illo potest inferri existentia rei significatæ propter infallibilem connexionem, qua cum illa ex diuina institutione connectitur.

53. Ad 6. Ad sacramentum sufficit, vt sit signum institutum ad homines humano ministerio sanctificandos, licet extraordinariè ex diuina dispensatione aliquando conferatur ministerio angelico; sed baptismus extraordinariè collatus ab Angelo, nihilominus erat signum institutum ad hoc, vt ordinariè conferretur ab homine: ergo fuit verum sacramentum.

54. Ad 7. Si velimus defendere insufflationem, qua Christus dedit Apostolis potestatem remittendi peccata, fuisse sacramentum ordinis, dicendum, quod ad sacramentum sufficit, vt vel sit signum institutum ad sanctificationem ordinariè significandam, vel sit signum autoritate diuina adhibitum loco signi ordinarij, tanquam idem moraliter cum illo. Et quia Christus, postquam instituit ceremonias ordinariè adhibendis in sacramento ordinis, autoritate propria, hoc est diuina, voluit extraordinariè adhibere insufflationem, tanquam signum moraliter idem, ideò consecit verum Sacramentum ordinis. Ex eadem doctrina potest defendi, quo pacto baptismus iuxta aliquorum sententiam paulò post resurrectionem Christi ab Apostolis extraordinariè collatus sub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Christi sine expressione Patris, & Filij, ac Spiritus sancti*, fuerit sacramentum. Fuit enim illa forma autoritate diuina extraordinariè adhibita, tanquam moraliter æquiualens formæ ordinariæ.

55. Ad 8. Sotus in 1. distinct. 1. quæst. 1. art. 1. docet ad sacramentum non requiri, vt sit causa, sed sufficere, vt sit signum nostræ sanctificationis, ac proinde sacramenta antiqua fuisse verè sacramenta, licet sanctificationem non causarent, sed solum significarent. Magister in 4. dist. 1. quem sequuntur Albertus Magnus eadem distinct. art. 7. & Sanctus Bonaventura, art. 1. quæst. 2. docent ad sacramentum non sufficere, vt sit signum, sed requiri, vt sit causa nostræ sanctitatis. Hinc inferunt sacramenta antiqua non fuisse vera sacramenta, quia fuerunt solum signa, non autem causa nostræ sanctificationis. Dicendum ad sacramentum requiri, vt sit signum per seipsum sanctificans sanctitate vera, vel figuratiua, ideò; vt sit signum practicum, hoc est, vt sit signum simul, & causa sanctitatis saltem figuratiuæ. Circumcisio, & sacramenta vetera, licet per

seipsa non causaret sanctitatem veram, tamen causabant sanctitatem figuratiuam. Sicut autem sanctitas vera, & figuratiua conueniunt solum analogicè in nomine sanctitatis, sic sacramenta noua, & vetera conueniunt solum analogicè in nomine sacramenti.

56. Ad 9. De ratione sacramenti est, vt infallibiliter sanctificet subiectum dispositum; Baptismus autem, Confirmatio &c. possunt non satisfacere subiectum propter ipsius dispositionem.

57. Ad 10. & 11. patet ex dictis sect. 4. & 5. in quibus explicatum est, quo pacto definitio allata non conueniat alijs, quæ licet sint affinia sacramentis, non sunt sacramenta, & quo pacto coincidat cum alijs definitionibus, & sit illarum explicatiua.

## QVAESTIO XLIX.

*Vtrum sacramentum sit signum vnius rei tantum?*

*S. Th. quæst. 60. ar. 3.*

1. **V**idetur esse signum vnius rei tantum. Si enim sacramentum significat plura, esset signum æquiuocum, ambiguum, & incertum: quod est absurdum.

2. Respondeo cum Sancto Thoma, quod quia sacramentum ex dictis est signum nostræ sanctificationis; nostræ autem sanctificatio causatur à gratia, tanquam à forma, à causa formali, à passione Christi, tanquam à causa efficiente, & meritoria, & ordinatur ad futuram gloriam, tanquam ad finem, & causam finalem, ideò sacramentum est signum horum trium. Quia verò signum rei vt præteritæ, dicitur commemoratiuum, signum rei vt præsentis, dicitur demonstratiuum, signum rei vt futuræ, dicitur prognosticum, ideò sacramentum est signum commemoratiuum passionis Christi, vt præteritæ, demonstratiuum gratiæ sanctificantis, ac virtutum infusarum, vt præsentium, & prognosticum, seu prænuntiatiuum gloriæ vt futuræ. Ideò de sacramento Eucharistiæ canit Ecclesia: *O sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia, & futura gloriæ nobis pignus datur.* Apostolus etiam ad Roman. 6. agens de baptismo dicit illum significare præteritam mortem, & sepulturam Christi, præsentem nouitatem vitæ per gratiam, & futuram resurrectionem, & gloriam. Propter hæc testimonia de fide est sacramenta Baptismi, & Eucharistiæ significare hæc tria. De alijs sacramentis licet non sit ita certum, tamen idem est asserendum propter paritatem rationis, & communem sententiam Theologorum. Quia verò sacramenta ordinantur ad significandam nostram sanctificationem, causatam à Christi passione præterita, & ordinatam ad futuram nostram beatitudinem, & glo.

& gloriam, ideo primo, & immediatè significant nostram sanctificationem per gratiam, secundario, & quasi mediatè significant causam efficientem, & finalem nostræ sanctificationis.

3. Ad argumentum in contrarium respondeo cum S. Thoma in resp. ad 1. quod sacramentum licet significet plura, tamen est signum certum, ac determinatum, non autem æquiuocum, neque ambiguum. Ratio est, quia signum æquiuocum, & ambiguum est, quod significat plura disparata indeterminatè, & aliquando applicatur ad significandum vnum, aliquando ad significandum aliud. Quod autem significat plura determinatè, & prout ordinantur ad vnum, non est signum æquiuocum, & ambiguum: ex. gr. nomen homo significat animam, & corpus, tamen, quia significat determinatè, prout ordinantur ad constituendum vnum compositum humanum, non est nomen æquiuocum, & ambiguum; sed sacramentum significat illa tria determinatè, & prout habent ordinem causæ efficientis, formalis, & finalis ad vnam, & eandem nostram sanctificationem: ergo &c.

## QVÆSTIO L.

*Verum sacramentum sit semper aliqua res sensibilis?*

*S. Thom. quæst. 60. art. 4.*

1. **V**identur non esse. Sacramenta enim pertinent ad cultum, & regnum Dei, & sunt maxima bona, sine quibus homo non potest rectè viuere, & consequi salutem; sed res sensibiles non pertinent ad cultum, & regnum Dei: nam vt dicitur Ioan. 4. *Spiritus est Deus, & eos, qui adorant Deum, in spiritu, & veritate oportet adorare*, & ad Rom. 14. *Non est regnum Dei esca, & potus*, quia nimirum sunt aliquid sensibile: rursus sensibilia sunt minima bona, sine quibus homo potest rectè viuere, vt docet August. lib. 2. de lib. arbitrio cap. 19. ergo &c.

Respondeo cum S. Thoma, Sacramenta debere esse signa sensibilia. Ratio est, quia diuina sapientia prouidet vnique secundum modum suæ naturæ, ideoque Sapientia 8. dicitur. *quod disponit omnia suauiter*, & Matthæi 25. *Quod dedit vnique secundum propriam virtutem*; sed naturale est homini, vt per sensibilia perueniat in cognitionem spiritualium, & intelligibilium: ergo Deus debuit instituere quædam signa sensibilia, quæ ducerent nos in cognitionem nostræ sanctificationis spiritualis, & intelligibilis, ac proindè ad sacramenta requiruntur res sensibiles, vt probat etiã Dionysius cap. 1. de cœlesti hierarchia. Confirmatur: nam ex eadem ratione, ex qua in Scriptura res spirituales explicantur per similitudinem rerum sensibilium, in sacramentis ef-

fectus spirituales debuerunt significari per res sensibiles.

2. Addit S. Thomas in resp. ad 1. quod primo, & per se signum dicitur, quod ita potest ducere in cognitionem alterius, vt primo, & per se ipsum innotescat homini; sed sola sensibilia primo, & per se ipsa homini innotescunt; siquidem cognitio hominis oritur à sensu; ergo sola sensibilia primo, & per se dicuntur signa, vt docet S. Augustinus initio lib. 2. de doctrina Christiana, qui idcirco signum definit: *Quod præter speciem sui, quam ingerit sensibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire*: ergo denominatio sacramenti primo, & per se conuenit solis sensibilibus. Quædam autem intelligibilia habent secundario denominationem sacramenti, in quantum innotescunt per sensibilia, & significant aliquem, alium spirituales effectum: ex. gr. in Eucharistia corpus Christi dicitur sacramentum, in quantum innotescit per accidentia sensibilia panis, & significat vltiorem effectum nostræ sanctificationis.

3. Ad argumentum in contrarium respondeo cum S. Thoma in resp. ad 2. & 3. quod vt docet S. Augustinus lib. 2. de libero arbitrio, licet res sensibiles secundum suam naturam consideratæ sint minima bona, sine quibus homo rectè viuere potest, ac proindè non videantur spectare ad cultum, & regnum Dei, tamen in quantum à Deo assumuntur ad hoc, vt sint signa nostræ spiritualis sanctificationis, sunt maxima bona, spectant ad cultum, & regnum Dei, & necessaria sunt ad salutem.

## QVÆSTIO LI.

*Verum requirantur determinata res ad sacramenta?*

*S. Thom. quæst. 60. art. 5.*

1. **V**identur ad sacramenta non requiri res determinatæ. Nam si requirerentur res determinatæ, omnes vterentur iisdem rebus ad conficienda sacramenta; sed non omnes vtuntur iisdem rebus: ergo &c. Probatur minor: nam ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ latini vtuntur pane azymo, græci vtuntur pane fermentato; latini conferunt sacramentum ordinis per porrectionem instrumentorum, ex. gr. conferunt sacerdotium per porrectionem patenæ cum hostia, & calicis cum vino, græci per solam impositionem manuum.

2. Secundo in lege naturæ ante legem Moysaïcam, homines ad colendum Deum per sacrificia, & sacramenta poterant vti prohibito quibuslibet rebus: ergo etiam in lege Euangelica possunt vti quibuslibet rebus: alioquin per legem Euangelicam ardata fuisset via salutis.

3. Respondeo cum S. Thoma, & omnibus

bus Theologis, in sacramentis utendum esse illis rebus sensibilibus, quæ sunt ex diuina institutione determinatæ. Ratio est, quia sacramenta sunt signa, per quæ homo colit Deum, & à Deo sanctificatur; sed sicut sanctificatio hominis est opus Dei proprium, sic ad Deum pertinet eligere, ac determinare res, per quas velit hominem sanctificare; ergo in sacramentis utendum est rebus à Deo determinatis: ex. gr. in sacramento baptismi utendum est aqua, prout Dominus determinauit Io. 3. dicens: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

4. Ad 1. distinguo maiorem: si requirentur res determinatæ, omnes deberent uti iisdem rebus secundum illam rationem communem, secundum quam determinatæ sunt à Christo, concedo; secundum alias rationes inferiores, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Christus instituit ut materiam Eucharistiæ panem triticeum, & vinum ex vite, sed non determinauit, utrum panis, triticeus debeat esse azymus, vel fermentatus, utrum vinum ex vite debeat esse album, vel rubrum, ideoque potest validè consecrari, tum panis azymus, tum fermentatus, dummodo sit triticeus, tum vinum album, tum rubrum, dummodo sit ex vite. Similiter Christus instituit, ut sacramentum ordinis conferretur per sensibilem porrectionem instrumentorum: & quia manus sunt instrumentum instrumentorum, ut docet Aristoteles, ideo potest conferri, vel per solam porrectionem manuum, quæ dum imponuntur, porriguntur, ut confertur à Græcis, vel per porrectionem manuum cum alijs instrumentis, puta patenæ cum hostia &c. ut confertur à Latinis.

5. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Ut docet S. Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 16. & 17. relatus à S. Thoma hic in resp. ad 3. diuersa sacramenta diuersis temporibus congruunt; sed in statu legis naturæ ante legem Mosaicam homines nulla lege exterius à Deo data, sed solum interiori instinctu mouebantur ad colendum Deum: ergo solo interiori instinctu determinabatur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum, & ad sacramenta uterentur. Sed postmodum debuit dari lex externa, tum quia per peccata actualia superaddita originali obscurata fuerat lex interna, tum ad expressiorem significationem gratiæ Christi: ergo per legem externam debuit etiam determinari, quibus rebus uterentur homines ad colendum Deum, & ad hoc, ut sanctificarentur à Deo. Neque ex hoc sequitur, quod coarctata fuerit via salutis. Nam res, quarum usus est ad sacramenta necessarius, vel communiter habentur, vel facillè possunt haberi.

*Utrum in significatione sacramentorum requirantur verba?*

S. Th. qu. 60. ar. 6.

1. **V**identur non requiri. Nam ad sacramenta antiqua legis Mosaicæ non requirebantur verba: ergo neque requiruntur ad sacramenta noua, quæ successerunt antiquis, ut docet Augustinus lib. 19. contra Faustum. cap. 16. & 17.

2. Respondeo ad sacramenta nouæ legis requiri verba. Conclusio est de fide, siquidem Concilium Florentinum in instructione Armenorum docet, sacramenta constare ex rebus, tamquam ex materia, & ex verbis, tamquam ex forma. Affert S. Thomas tres rationes congruentiæ. Prima ratio desumpta ex parte Christi, qui per sacramenta nos sanctificat est. Sicut in incarnatione carni sensibile Verbum Dei fuit unitum, sic sacramentum perficitur per hoc, quod rebus sensibilibus additur verbum, ideoque S. Augustinus tract. 80. in Ioann. dicit: *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.*

3. Secunda ratio desumpta ex parte hominis, qui per sacramenta sanctificatur, est. Sicut homo constat ex anima, & corpore, sic curari debet per medicinam proportionalem, hoc est per sacramentum, quod per rem sensibilem tangit corpus, & per verbum ab anima creditur: ideoque Augustinus tract. 30. in Io. dicit: *Vnde tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluit, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur?*

4. Tertia ratio desumpta ex significatione sacramentali est. Verba sunt signa omnium clarissima, ideoque Augustinus lib. 2. de doctrina christiana, cap. 3. dicit, quod verba habent principatum significandi: ergo ad perfectionem significationis sacramentalis requiruntur, ut significatio rerum obscura, & magis indeterminata, per aliqua verba determinetur, & declaretur. Quia verò determinabile habet rationem materiæ, determinatum habet rationem formæ, ideo in sacramentis res habent rationem materiæ, verba habent rationem formæ.

5. Debet aduertiri primo, quod in sacramento matrimonij illud est speciale, quod non requiruntur verba formalia, sed sufficiunt verba virtualia, hoc est nutus. Ratio est, quia contractus matrimonij non fuit de nouo institutus à Christo, sed prout erat ante, eleuatus est ad hoc, ut esset sacramentum; sed ante contractus matrimonij poterat fieri per nutus, & per procuratorem, sicut alij contractus ergo Christus reliquit, ut etiam sacramentum matrimonij possit fieri per nutus, per procuratorem &c.

6. Debet aduertiri secundo, quod quia in sacra-

sacramento matrimonij non adhibentur ex necessitate alia signa sensibilia, quam verba, vel nutus, eadem verba, vel nutus sub vna ratione habent rationem rerum, & materia, sub alia ratione habent rationem formæ. Verba igitur, vel nutus, in quantum significant mutuum consensum, habent rationem materia, ac determinabilis; in quantum significant mutuum acceptationem consensuum, habent rationem formæ, ac determinatiui.

7. Debet aduertiri tertio, quod in sacramento penitentiae materia sunt actus penitentis, ac præsertim confessio sensibilis, seu fiat verbis, seu nutibus; forma est absolutio sacerdotis, quæ debet dari per verba formalia, ac non potest dari validè solis nutibus.

8. Ad argumentum in contrarium, concedo antecedens, & nego consequentiam. Vt docet S. Thomas in resp. ad 3. sacramenta legis veteris non constabant rebus, & verbis, sed solis rebus. Genesis enim 17. vbi præscribitur ritus circumcisionis, Exodi 12. vbi præscribitur ritus agni paschalis, Leuit. 10. vbi præscribitur ritus ordinandi sacerdotes, non præscribuntur vlla verba in talibus sacramentis adhibenda. Licet autem Leuit. 4. in sacrificio pro peccato præscribatur oratio sacerdotis, tamen talis oratio non erat de essentia sacramenti, & præterea non est certum sacrificium illud fuisse sacramentum. Ceremonia Zelotypiæ, in qua num. 15. debebant adhiberi certa verba, non erat sacramentum, siquidem non erat instituta ad sanctificandum, sed ad inuestigandum, & puniendum adulterium. Rationem disparitatis inter sacramenta vetera, & noua offert S. Thomas in resp. ad 3. Nam quia in statu legis veteris fides erat magis obscura, sacramenta debebant esse obscuriora, ac proinde ad illa non erant necessaria verba, quæ sunt signa omnium clarissima, & habent principatum significandi, vt num. 4. dictum est ex Augustino.

### QVAESTIO LIII.

*Virum in sacramentis requirantur determinata verba?*

*S. Thom. qu. 1. art. 7.*

1. **V**identur non requiri: primò quia si requirerentur verba determinata, requirerentur illa, quæ Christus determinauit; sed Christus determinauit verba eius linguæ, in qua loquebatur: ergo sacramenta non possent conferri per verba aliarum linguarum: quod est absurdum.

2. Secundo si dicatur, quod Christus determinauit verba, non quoad sonum, sed quoad significationem, contra est, quia eadem significatio potest exprimi per verba diuersa: ergo non esset maior ratio, cur potius adhiberentur hæc verba, quam alia eiusdem significationis.

3. Tertio si requirerentur verba determinata, eo ipso, quod quis corruptè illa proferret, sacramentum esset inualidum; sed sæpè aliqui vel ex ignorantia, vel quia balbutiunt, proferunt verba corruptè: ergo sæpè posset dubitari de valore sacramentorum.

4. Respondeo cum S. Thoma, & omnibus Theologis, ad sacramenta requiri verba determinata. Ratio est, quia ex dictis res requiruntur per modum materiae determinabilis, verba per modum formæ determinatiuæ: ergo si res debent esse determinatæ, vt dictum est quæst. 7. ad hoc, vt sint proportionatæ formæ determinanti, à fortiori verba debent esse determinata, ideoque Christus Matthæi 29. Eucharistiam cõsecrauit determinatis verbis, dicens, *hoc est corpus meum*, & Matthæi ultimo Apostolis præcepit, vt baptizarent sub determinata forma verborum, dicens: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*.

5. Ad 1. Verba fuerunt à Christo determinata, non quoad sonum, sed quoad significationem, ideoque in omnibus linguis possunt conferri sacramenta per verba habentia eandem significationem. Vt enim dicit Augustinus, tract. 8. in Ioann. *verbum operatur in sacramentis, non quia dicitur, sed quia creditur*, hoc est non propter sonum vocis, sed propter significationem, quæ fide tenetur.

6. Ad 2. Sicut in sacramentis assumuntur illæ res, quarum vsus est communior, ex gr. in baptismo assumitur aqua, quia homines communiter vtuntur aqua ad abluendum, sic in qualibet lingua debent assumi illa verba, quibus communiter vtuntur homines ad significandum id, quod per verba sacramentalia debet significari.

7. Ad 3. respondet S. Thomas hoc art. in resp. ad 3. quod si quis corruptè proferat verba sacramentalia, si ex industria hoc facit, non videtur habere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, & sic non videtur conferre sacramentum; si autem ex errore, vel lapsu linguæ corruptè proferat verba, si sit tanta corruptio, vt auferatur sensus verborum, sacramentum non confert, si retinetur sensus, sacramentum confert. Ideo de consecrat. distinct. 4. cap. *Retulerunt*, cum interrogatus fuisset Pontifex, vtrum rebaptizandi essent quidam, qui ex ignorantia linguæ baptizati fuerant sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritu Sancto*, respondet per hæc verba: *si ille, qui baptizauit, non errorem volens introducere, aut hæresim, sed pro sola ignorantia romane locutionis, infringendo linguam, vt supra fati sumus, baptizans dixisset, non possumus consentire, vt denuò baptizentur*. Hinc constat in similibus casibus decitem, ac certum esse valorem sacramenti, & prohibitam iterationem. Aduertit autem S. Thomas verba facilius retinere significationem, cum variantur ex parte finis, quam cum variantur ex parte principij. Ideo si quis loco dicendi in nomine Patris, ex errore, vel lapsu

lapſu linguæ diceret, in nomine matris, procul uubio non baptizaret validè.

### QVÆSTIO LIV.

*Virum liceat aliquid addere, vel demere verbis, in quibus conſiſtit forma ſacramentorum?*

*S. Thom. quaest. 1. art. 8.*

1. **V**idetur, quod additio, vel detractio nunquam impediatur valorem ſacramenti. Nam ſi aliquando impediret, etiam interruptio verborum aliquando impediret valorem ſacramenti, quod videtur falſum.

2. Reſpondeo cum S. Tho. art. 2. quod ſi quis per additionem, vel diminutionem variet verba, ex intentione non faciendi id, quod facit Eccleſia, ſed faciendi aliquid aliud, & introducendi nouum ritum ſubſtantialem, proculdubio non facit ſacramentum. Si autem habeat debitam intentionem, & variet verba, ita ut retineant ſenſum ſubſtantialem, facit ſacramentum: ſi autem non retineant ſenſum ſubſtantialem, non facit ſacramentum.

3. Ex hac doctrina inferitur primo, quod ſi quis baptizans omittat vnā Perſonam Trinitatis, non confert ſacramentum, ut docet Didymus lib. 2. de Spiritu ſancto.

4. Inferitur ſecundo, quod ſi quis baptizet ſub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris, & Spiritus ſancti*, ut baptizabant quidam Arianæ, non facit ſacramentum, quia illa additio mutat ſenſum ſubſtantialem formæ baptiſmalis.

5. Inferitur tertio, quod ſi quis baptizet dicens: *Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filij eius unigeniti Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti paracliti*, facit ſacramentum, quia retinet ſenſum ſubſtantialem formæ. Ex eadem ratione validè baptizaret, qui diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, ac Beata Virgo te adiuret*: ſiquidem illa additio non mutat ſenſum ſubſtantialem formæ.

6. Inferitur quarto, quod ſi quis baptizaret ſub hac forma, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, ac Spiritus ſancti, & Beata Virginis*, ſi intenderet baptizare in nomine Beata Virginis, ſicut in nomine Trinitatis, non validè baptizaret. Talis enim ſenſus eſſet contrarius fidei, & ſic tolleretur valorem ſacramenti, ideoque Apoſt. 1. ad Corinth. 1. dicit *Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* At ſi per illam additionem in nomine Beata Virginis, haberet ſolum intentionem inuocandi Beatam Virginem, ut eius interceſſio prodeſſet baptizato ad conferuandam gratiam baptiſmalem, validè baptizaret. Peccat tamen, qui etiam accidentaliter mutat formas conſuetas ſacramentorum, quia non ſeruat ritum ab Eccleſia præſcriptum.

7. Ad argumentum in contrarium concedo ſequelam, ad dico, quod etiam inter-

ruptio, vel tranſpoſitio, ſi auferat ſenſum verborum, impedit valorem ſacramenti, ſi non auferat ſenſum verborum, non impedit valorem ſacramenti.

*De conſtitutiuis intrinſecis, & eſſentialibus ſacramentorum.*

**P**ro maiori explicatione doctrinæ tradite à Sancto Thoma circa materiam, & formam ſacramentorum, debemus cum recentioribus examinare, an, & quo pacto ſacramenta nouæ legis conſtituantur ex materia, & forma, & vniuerſim debemus agere de conſtitutiuis intrinſecis, & eſſentialibus ſacramentorum. Sit ergo &c.

### QVÆSTIO LV.

*Vtrum ſacramentum conſtituatur intrinſecè & in recto per res & verba, tamquam per materiam, & formam?*

1. **P**rimò videntur ſacramenta non conſtitui ex rebus, & verbis, tamquam ex materia, & forma. Ad materiam enim, & formam requiruntur, ut concurrant, & conſtituantur ad conſtituendum aliquod vnum; ſed res & verba non vniuntur intrinſecè ad faciendum vnum: ex gr. in ſacramento baptiſmi ablutio per aquam, & illa verba, *Ego te baptizo*, non vniuntur intrinſecè ad faciendum vnum: ergo &c.

2. Secundo videtur non quodlibet ſacramentum conſtitui intrinſecè per verba. Nam ſacramentum Eucharistiæ conſtituitur intrinſecè ſolum per ſpecies, & eſſentiam Chriſti ſub ſpeciebus; verba autem conſecrationis requiruntur ſolum extrinſecè, & ut cauſa efficiens inſtrumentalis eſſentia Chriſti ſub ſpeciebus; ergo.

3. Tertio videtur ſacramentum non conſtitui per res, & verba in recto. Quod enim aliquid importetur in recto, vel in obliquo, habetur dependenter ab actu intellectus: ergo ſi ſacramentum conſtitueretur per res, & verba in recto, conſtitueretur dependenter ab actu intellectus, quod eſt abſurdum.

4. Reſpondeo Eugenium IV. in Concilio Florentino in decreto pro inſtructione Armenorum, poſt vltimam ſeſſionem *Sacramentorum*, enumeratis ſeptem ſacramentis nouæ legis, ſubiungere hæc verba. *Hæc omnia ſacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis, tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis ſacramentum cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, quorum ſi aliquid deſit non perficitur ſacramentum.* Pro explicatione huius doctrinæ proponenda, & ſoluenda ſunt aliqua dubia.

5. Quæ-

5. Queritur igitur primo, vtrum ad omnia sacramenta requirantur verba formalia?

Respondeo cum sententia communi, & certa, ad sacramentum matrimonij sufficere nutus, qui sunt verba solum virtualia, ad reliqua sacramenta requiri verba formalia ex ratione allata quæstione 52. Insiuat hoc ipse Eugenius §. *Septimum est sacramentum*, dicens. *Causa efficiens matrimonij regulariter est mutus consensus per verba de presenti expressus*. Addit ly regulariter, quia aliquando consensus exprimitur per solos nutus. Dum igitur Eugenius dicit, omnia sacramenta perfici verbis, sumit verba, prout abstrahunt à formalibus, & virtualibus.

6. Queritur secundo, vtrum ad omnia sacramenta requiratur, vt materia sit res sensibilis distincta à verbis?

Respondeo cum communi sententia, quod requiritur ad omnia, exceptis sacramentis matrimonij, & penitentia, vt explicatum est quæstione 52. Dum igitur Eugenius dicit omnia sacramenta constare rebus, tamquam ex materia, & verbis, tamquam ex forma, nomine rerum comprehendit etiam ipsa verba, in quantum habent rationem determinabilis, vt explicatum est dicta quæstione 52.

7. Queritur tertio, vtrum res, & verba proprie sint materia, & forma sacramentorum?

Respondeo, quod sunt materia, & forma, non physicè, sed moraliter, & analogicè, in quantum res habent rationem determinabilis, verba habent rationem determinatiui. Ideo Eugenius dicit sacramenta perfici rebus, tamquam materia, & verbis, tamquam forma, vt per ly *tamquam* insinuet res, & verba esse materiam, & formam per similitudinem, & analogiam cum materia, & forma physica. Ratio est, quia forma physicè est, quæ intrinsecè vnitur subiecto; quæ autem extrinsecè solum denominat, non est forma physicè, sed solum moraliter, & analogicè.

8. Queritur quarto, vtrum omnia sacramenta constituantur intrinsecè ex rebus, & verbis?

Respondeo omnia sacramenta, excepta Eucharistia, esse transeuntia, & consistere in vfu, seu sumptione, ac tamdiu durare, quamdiu durat vfus, seu sumptio, transacto vfu, non remanere, nisi quoad effectum: ex. gr. sacramentum baptismi consistit in vfu, & ablutione, qua quis baptizatur, & abluatur, ac profertur verba, transacta ablutione, ac prolotione verborum, sacramentum baptismi non remanet, nisi quoad effectum, puta quoad gratiam, vel characterem. Idem dic de confirmatione &c. At sacramentum Eucharistia datur ante vsum, & sumptionem, vt est de fide contra Lutherum ex Tridentino sess. 13. cap. 3. & prolatis verbis consecrationis, remanet, & conseruatur, quamdiu durant species sacramentales.

9. Hoc posito, ad quæsitum dico, quod

Tom. III.

omnia sacramenta transeuntia, & consistentia in vfu, constituuntur intrinsecè ex rebus, & verbis: ex. gr. baptismus constituitur intrinsecè ex ablutione per aquam, & ex verbis *Ego te baptizo* &c. Ratio est, quia omne concretum constituitur intrinsecè ex eo, quod habet denominationem, & ex eo, à quo formaliter denominatur: ex. gr. album constituitur intrinsecè ex eo, quod denominatur album, & ex albedine, à qua denominatur album; domus constituitur intrinsecè ex eo, quod habet denominationem domus, puta ex lapidibus, lignis &c. & ex forma artificiali, à qua formaliter denominatur domus: ergo sacramentum, hoc est signum sensibile per se ipsum sanctificans hominem, constituitur intrinsecè ex eo, quod denominatur signum sensibile sanctificatiuum, & ex eo, à quo formaliter denominatur; Sed res sensibiles, & verba sensibilia, puta ablutio per aquam, & verba *Ego te baptizo* &c. denominantur signa sensibilia sanctificatiua hominis, & formaliter denominantur à significatione sacramentali, quam habent ex diuina institutione; ergo sacramentum constituitur intrinsecè ex rebus, & verbis, & ex significatione sacramentali. Quia verò nō sola ablutio per aquam, sed etiam verba illa *Ego te baptizo* &c. denominantur signum sanctificatiuum hominis, ideo sacramentum constituitur intrinsecè, non solum ex rebus, sed etiam ex verbis. Hinc sequitur, quod licet verba, respectu rerum habeant rationem formæ, tamen respectu significationis sacramentalis, quæ est vltima forma denominatiua sacramenti, habent rationem materiæ. Neque hoc est nouum, vel inusitatum. Nam statua ex. gr. constat ex marmore, tamquam ex materia, & ex figura artificiali statuæ, tamquam ex forma: rursus marmor ipsum, quod est materia statuæ, constat ex materia prima, & ex forma, substantiali marmoris; ergo forma marmoris, quæ ad materiam primam habet rationem formæ, ac determinatiui, ad figuram statuæ habet rationem materiæ, ac determinabilis: ergo proportionaliter in casu nostro verba, quæ ad res habent rationem formæ, & determinatiui, ad significationem sacramentalem habent rationem materiæ, ac determinabilis. Verba igitur licet sint forma sacramenti, non sunt forma vltima, sed sola significatio sacramentalis est forma vltima. Vtrum autem sacramentum Eucharistia, quod est permanens, constituatur intrinsecè etiam ex verbis consecrationis, examinabitur infra in tractatu de Eucharistia.

10. Queritur quinto, vtrum sacramenta constituantur intrinsecè ex verbis materialiter sumptis, an potius ex verbis formaliter sumptis, hoc est vt significatiuis ex institutione hominum?

Respondeo, quod constituuntur intrinsecè ex verbis formaliter vt significatiuis ex institutione humana. Ratio est, quia sacramenta constituuntur ex verbis, quibus ex diuina

Q uina

uina institutione conuenit significatio sacramentalis; sed significatio sacramentalis conuenit verbis, non nudè sumptis, sed vt ex humana institutione significatiuis: ex. gr. verba ista *Ego te baptizo*, non in quantum sunt nudæ voces nihil significantes, sed in quantum ex humana institutione significant actum abluendi ablutione materiali, assumpta fuerunt à Christo ad significandam sacramentaliter gratiam, & ablutionem spiritualem hominis; ergo &c.

11. Queritur sexto, vtrum sacramentum significet res, & verba in recto?

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia id, quod significatur tamquam substinens denominationem, & prædicationem concreti, significatur in recto: ex. gr. album significat in recto id, quod ab albedine denominatur, ac dicitur album; homo significat in recto id, quod ab humanitate denominatur, ac dicitur homo; sed res, & verba significantur, tamquam id, quod denominatur, ac dicitur sacramentum, hoc est signum sensibile sanctificans hominem; ergo significantur in recto. Hinc sequitur, quod res, & verba constituunt intrinsecè sacramentum. Nam quod significatur in recto semper est constitutum intrinsecum, licet non omne constitutum intrinsecum significetur in recto, sed aliquando significetur solum in obliquo, vt explicabitur quæst. 56. proximè sequenti.

12. Debet aduertiri, quod aliud est formam esse intrinsecam concreto, aliud esse intrinsecam subiecto concreti: ex. gr. cognitio est intrinseca, & essentialis huic concreto *cognitum*; sed est purè extrinseca subiecto concreti, puta Petro, qui est cognitum. In casu nostro forma sacramenti est intrinseca sacramento, sed non debet esse intrinseca rebus, quæ denominantur sacramentum.

13. Ad 1. Ad materiam, & formam physicam requiritur, vt vniantur intrinsecè: ad materiam autem, & formam moraliter, & analogicè, sufficit, vt vniantur solum moraliter, & verba in sacramentis vniantur moraliter rebus in ordine ad constituendum vnū signum sensibile.

14. Ad 2. Dicitur est omnia sacramenta quæ consistunt in vñ, constitui intrinsecè per res, & verba, quidquid sit de Eucharistia, quæ non consistit in vñ, & de sacramento matrimonij, ad quod sufficiunt nutus, qui sunt verba virtualia, vt dictum est num. 5.

15. Ad 3. Sacramentum constituitur intrinsecè per res, & verba. Rursus verba, & res importantur in recto per nomen sacramenti. At Sacramentum sicut est id, quod significatur per nomen sacramenti, sic constituitur intrinsecè per res, & verba, quæ significantur in recto per nomen sacramenti, sed non constituitur per hoc, quod res, & verba significantur in recto, ac proinde non constituitur per actum intellectus, sed constituitur per res,

& verba, quæ ponuntur in recto per actum intellectus.

## QVÆSTIO LVI.

*Vtrum sacramentum constituatur intrinsecè per institutionem humanam significatiuis vocum, per institutionem diuinam, & per intentionem ministri?*

1. **P**rimo videtur sacramentum constitui intrinsecè per institutionem humanam significatiuis vocum. Sacramentum enim, vt dictum est quæst. 55. præcedenti constituitur intrinsecè per voces vt significatiuas; sed voces constituuntur formaliter significatiue per institutionem humanam, & vñ quorum, qui voluerunt vti talibus vocibus ad hæc significanda; ergo &c.

2. Secundo videtur à fortiori sacramentum constitui intrinsecè per institutionem diuinam. Sacramentum enim constituitur intrinsecè per institutionem sacramentalem, tamquam per vltimā formam; sed significatio sacramentalem consistit formaliter in diuina institutione, & promissione, qua Deus voluit vti talibus rebus, & verbis ad significandam infallibilem sanctificationem hominis; ergo &c.

3. Tertio videtur sacramentum constitui intrinsecè etiam per intentionem ministri faciendi, quod facit Ecclesia. Verba enim constituunt sacramentum, in quantum sunt locutio ministri; sed loqui non est solum proferre voces significatiuas, sed est illas proferre cum intentione vtendi significatiuis vocum, ideoque qui proferit voces significatiuas pure materialiter, & sine intentione vtendi earum significatione, propriè non loquitur; ergo sacramentum constituitur intrinsecè per voces, vt prolatis cum intentione vtendi earum significatione; sed sacramentum constituitur intrinsecè per voces, in quantum sunt locutio sacramentalis, locutio autem sacramentalis constituitur intrinsecè per intentionem ministri vtendi significatione sacramentali vocum, quæ saltem implicite est intentio faciendi, quod facit Ecclesia; ergo sacramentum constituitur intrinsecè per intentionem ministri faciendi, quod facit Ecclesia.

4. Quarto id, quo non posito, & per possibile, vel impossibile positis omnibus alijs res non ponitur, est constitutum essentialiter, & intrinsecum rei; siquidem implicat rem non poni, positis omnibus constitutiuis eius essentialibus, ac non deficiente vñ constitutiuo essentiali: ex. gr. implicat hominem non poni, positis omnibus constitutiuis essentialibus hominis, nimirum anima, corpore, & vnione; sed positis omnibus alijs, & non posita intentione ministri, non ponitur sacramentum, vt patet ex verbis Eugenij IV. relatis quæst. 52. num. 4. ergo &c.

5. Re-

5. Respondeo, quod nomen omnia, quæ significat in recto, significat vt intrinseca constitutiva rei. Ratio est, quia significat illa, tamquam id, quod est res; id autem, quod est res, proculdubio est intrinsecum, & essentialiter constitutum talis rei. At ex ijs, quæ per nomen significantur in obliquo, aliqua significantur vt essentialia, & intrinseca constitutiva rei, aliqua significantur vt effectus, causæ, vel termini, quibus res non constituitur intrinsecè, & essentialiter. Illud significatur in obliquo vt constitutum intrinsecum, quod significatur, tamquam forma se ipsa denominans, vel tamquam applicatio illius formæ. Illa vero, quæ significantur in obliquo, non tamquam forma se ipsa denominans, sed solum tamquam effectus, causæ, vel termini, ad quos quomodolibet refertur res, significantur, non tamquam intrinseca, & essentialia constitutiva.

6. Probat, & explicatur inductione. Hoc nomen *album* significat in recto id, quod denominatur album, hoc est subiectum albedinis, in obliquo autem significat ipsam albedinem, vt formam se ipsa dantem denominationem albi, & vnionem subiecti cum albedine, vt formalem applicationem formæ denominantis, hoc est albedinis, ideoque etiam albedinem, & vnionem significat vt intrinseca, & essentialia constitutiva albi; ac proinde album in ratione albi intrinsecè, & essentialiter constituitur per subiectum, albedinem, & vnionem albedinis cum subiecto. Rursum nomen *album* cum significet idem, ac *disgregationem visus*, significat in obliquo vt effectum albi disgregationem visus, & ipsum visum significat tanquam id, quod disgregatur ab albo; sed quia hæc significat, non tamquam formam denominantem album, neque tamquam applicationem formæ, non significat tamquam constitutiva intrinseca, & essentialia albi, sed tanquam aliquid extra essentialiam albi, ideoque album non constituitur intrinsecè per disgregationem visus, neque per visum. Similiter homo significat animal rationale, hoc est potens sentire, & discurre, ac proinde significat in obliquo sensationem, & discursum; sed quia sensationem, & discursum non significat vt formam, à qua subiectum denominatur homo, sed solum vt operationes hominis, ideo significat sensationem, & discursum vt obliqua purè extrinseca, seu non essentialia, ac proinde homo non constituitur intrinsecè, & essentialiter per sensationem, & discursum, sed solum per hoc, quod sit principium sentiendi, & discurrendi. Creatura significat idem, ac *ens ab alio*, hoc est à Deo, ac proinde significat Deum in obliquo. Sed quia creatura denominatur formaliter, non à Deo, sed à relatione dependentiæ, qua dependet à Deo, nomen creaturæ significat Deum purè vt terminum dependentiæ, & vt causam efficientem creaturæ, ac proinde vt obliquum purè extrinsecum. Pec-

catum cum sit transgressio legis, vel offensa Dei significat legem, ac Deum vt obliquum extrinsecum, & extra essentialiam peccati. Pater æternus cum sit Pater Filij, significat Filium vt obliquum extrinsecum: siquidem Pater æternus non constituitur intrinsecè per Filium, sed per paternitatem, qua refertur ad Filium.

7. In casu nostro sacramentum ex dictis quæst. 48. est signum ex diuina institutione humano modo, ac ministerio sanctificans hominem: ergo nomen sacramenti significat signum, diuinam institutionem, humanum ministerium, humanum modum, sanctificationem hominis, & ipsum hominem, qui sanctificatur. Quæritur, quænam ex his significet vt constitutiva intrinseca, & essentialia sacramenti, quæ vt obliqua extrinseca, & extra essentialiam sacramenti?

8. Dicendum sacramentum constitui intrinsecè per id, quod denominatur sacramentum, hoc est signum sanctificatum, & per formam, per quam formaliter denominatur sacramentum: & quia res, & verba denominantur sacramentum, hoc est signum sanctificationum, ab ipsa significatione sacramentali, ideo sacramentum constituitur intrinsecè per res, & verba, & per significationem sacramentalem nostræ sanctificationis: cætera verò, nimirum institutio diuina, humanum ministerium, humanus modus &c. significantur, & connotantur, vt obliqua purè extrinseca.

9. Sed recurrit difficultas, ac soluenda sunt duo dubia. Primo enim, quia quæstione 55. diximus sacramentum constitui intrinsecè per voces, non vt nudè sumptas, sed vt significatiuas politice, hoc est civiliter ex institutione humana, quæritur, per quam formam verba constituantur significatiua politice, ac civiliter ex institutione humana? Secundo quæritur, per quid res, & verba constituantur significatiua sacramentaliter ex institutione diuina.

10. Dux sunt sententiæ. Prima docet verba constitui formaliter significatiua politice, ac civiliter per ipsam institutionem, & usum, quo antiqui vsque ad nos vsi sunt verbis ad hoc significandum: ex. gr. hæc verba *ego te baptizo* sunt formaliter significatiua actionis abluendi per hoc ipsum, quod antiqui vsque ad nos vsi sunt illis ad significandam actionem abluendi. Proportionaliter docent res, & verba constitui significatiua sacramentaliter per institutionem diuinam, qua Deus promissit se per hæc signa sensibilia daturum gratiam homini sufficienter disposito, & per intentionem ministri, qua vult his signis vti iuxta diuinam institutionem.

11. Reijcitur hæc sententia. Nam si verba constituuntur significatiua per institutionem, & usum, cum is vsus includat multos actus antiquorum, partim bonos, partim malos, sequitur sacramenta constitui formaliter,

& intrinsicè per multos actus antiquorum, partim bonos, partim malos, & sic per multa peccata, quod est absurdum. Rursus sequitur sacramenta constitui formaliter, & intrinsicè per institutionem, & promissionem diuinam: sed hæc institutio, & promissio includit actum diuinæ voluntatis identificatum cum Deo; ergo sacramenta constituuntur intrinsicè per ipsum Deum, & per multa peccata, & flagitia hominum, per ipsum optimum, & per ipsum pessimum: quod est absurdum.

12. Confirmatur. Nam existimamus absurdum, quod homo, qui est creatura Dei, constituatur intrinsicè per ipsum Deum; quod peccatum, quod est offensa Dei, & transgressio diuinæ legis, constituatur intrinsicè per Deum, & per ipsam diuinam legem: ergo à pari. Confirmatur rursus: nam sequitur, quod si sacramentum constituitur intrinsicè per multa peccata, & flagitia hominum, non sit aliquid sanctum, & amabile præsertim à Deo secundum omnia sua intrinsicè constitutiua.

13. Dicendum ergo cum secunda sententia: verba sacramentalia constituuntur causaliter, & fundamentaliter significatiua politicè, ac ciuilitè per institutionem, & usum antiquorum, formaliter autem constituuntur significatiua per hoc, quod proferuntur dependenter à tali usu, & dependenter à voluntate vtendi verbis iuxta institutionem, & usum antiquorum. Si verò quæretur, quid sit hæc dependentia, dico, quod est modus relationis, qui resultat in verbis, supponens essentialiter usum antiquorum, & voluntatem proferentis. Proportionaliter res, & verba constituuntur causaliter, & fundamentaliter significatiua significatione sacramentali per institutionem diuinam, & per intentionem ministri volentis vti talibus signis iuxta diuinam institutionem; formaliter autem constituuntur significatiua significatione sacramentali per modum relatiuum, quo proferuntur dependenter à diuina institutione, & ab intentione ministri. Institutio igitur diuina, atque humana, & intentio ministri non sunt constitutiua intrinsicè, & essentialia sacramenti, sed obliqua, & connotata extrinseca, & quæ sunt extra essentiam sacramenti.

14. Dices primo: modi isti relatiui ponuntur frustra, & sine fundamento, ac necessitate.

Respondeo, negando antecedens. Modi relatiui sunt necessarij ad explicandum, in quo consistat pulchritudo proportionis, honestas iustæ punitionis, sacramenta, & alia multa, & propter hæc, & alia fundamenta admittuntur à Thomistis, & Scotistis, & à pluribus alijs, tum antiquis, tum recentioribus, quos secutus sum in logica qu. 64.

15. Dices secundo. Seclusis his modis, & remanentibus alijs, sacramentum intelligitur sufficienter constitutum; ergo tales modi

non sunt necessarij ad constitutionem sacramenti.

Respondeo, distinguo antecedens: sacramentum intelligitur sufficienter constitutum sine absurdo, & inconuenienti, nego: cum absurdo, & inconuenienti, concedo. Seclusis modis relatiuis, sacramentum intelligitur constitutum formaliter per Deum ipsum, per multa peccata hominum &c. quæ sunt absurda, & inconuenientia: & quia sacramentum absolute non intelligitur sufficienter constitutum, cum intelligitur constitutum inconuenienter, idè seclusis modis relatiuis, sacramentum non intelligitur sufficienter constitutum.

16. Dices tertio: sacramentum matrimonij constituitur intrinsicè per mutuum internum consensum contrahentium, verbis, aut nutibus expressum; sed mutuus ille internus consensus aliquando est peccaminosus: ergo aliquando sacramentum matrimonij constituitur intrinsicè per actus peccaminosos.

Respondeo, negando antecedens. Dico igitur, quod si sacramentum matrimonij constitueretur intrinsicè per mutuum consensum coniugum, non solum sequeretur, quod aliquando sacramentum constitueretur intrinsicè per actum peccaminosum, sed etiam quod constitueretur per actum, qui esset obex, & impedimentum effectui primario sacramenti, hoc est sanctificationi suscipientis. Probat sequela. Nam peccatum mortale suscipientis sacramentum est obex, & impedimentum gratiæ, quæ est effectus primarius sacramenti; sed sacramentum matrimonij constitueretur intrinsicè per mutuum consensum coniugum suscipientium, ac sibi mutuo ministrantium sacramentum matrimonij: ergo cum talis consensus est mortaliter peccaminosus, vt non raro contingit, sacramentum matrimonij constitueretur intrinsicè per impedimentum, & obicem sui effectus. Si verò dicatur, quod sacramentum constituitur intrinsicè per consensum, non in quantum est peccaminosus, & malus, sed in quantum est mutuus consensus, contra est, quia hoc probat solum sacramentum non constitui metaphysicè per actum peccaminosum, & per obicem, atque impedimentum sui effectus primarij, sed non probat non constitui physicè, & realiter per actum peccaminosum. Physicè enim constituitur per illum consensum, quo de facto coniuges consentiunt, qui consensus non raro est peccaminosus, ac proinde est obex, & impedimentum effectui primario sacramenti.

Dicendum igitur sacramentum matrimonij constitui intrinsicè, & essentialiter, non per mutuum consensum internum, sed per signa externa mutui consensus interni, & per modum relatiuum, quo talia signa connectuntur cum mutuo consensu interno, & cum eius valore, ac proinde cum omnibus

## QUÆSTIO LVII.

*Virum sacramentum sit ens rationis, vel ens morale?*

1. **V**idetur sacramentum non esse ens rationis. Quod enim quoad omnia sua constitutiva intrinseca existit à parte rei, non est ens rationis, sed est ens reale; sed sacramentum quoad omnia sua constitutiva intrinseca existit à parte rei: nam constituitur intrinsecè per res, & verba, & per institutionem diuinam, ac per intentionem ministri &c. quæ omnia existunt à parte rei: ergo &c.

2. Respondeo ex communi doctrina duplex esse ens rationis metaphysicum nimirum, & logicum. Ens rationis metaphysicum definitur ex Auerroce, quod habet esse obiectivè tantum in intellectu, quia nimirum implicat contradictionem, ut ponatur à parte rei, ac proindè potest solum concipi. Ens rationis logicum sunt secundæ intentiones, quæ constituuntur formaliter per denominationem extrinsecam ab actibus intellectus, vel per relationem resultantem ex actibus intellectus. In hoc sensu vniuersale formaliter, genus, species, prædicatum, subiectum &c. sunt entia rationis logica, quia res denominantur formaliter vniuersales, genus, species &c. per denominationem extrinsecam ab actibus intellectus, per quos actus abstrahuntur ab inferioribus, prædicantur, subiiciuntur &c. vel per relationem resultantem ex actibus intellectus.

3. Hoc posito, certum est sacramentum non esse ens rationis metaphysicum, hoc est impossibile, & implicans contradictionem, cum de facto detur secundum omnia sua constitutiva. Quæritur, vtrum sit ens rationis logicum?

4. Prima sententia Scoti in 4. dist. 1. quæst.

2. Soti eadem distinctione, quæst. 1. art. 1. Vasquez hic 3. p. disput. 128. est affirmatiua.

5. Secunda sententia Suarij hic 3. p. t. 3. disput. 1. sect. 3. est negatiua.

6. Dicendum cum prima sententia: sacramentum est ens rationis logicum, vel saltem ens morale.

Probatur. Nam ens rationis logicum, aut ens morale dicitur, quod consistit in rebus vt extrinsecè denominatis ab actibus intellectus, vel voluntatis; ex. gr. cognitum, prædicatum, subiectum &c. dicuntur secundæ intentiones, & entia rationis logica, quia consistunt in rebus, prout extrinsecè denominatis ab actibus intellectus: entia moralia dicuntur, quæ consistunt in rebus, vt extrinsecè denominatis ab actibus voluntatis, vel à relationibus resultantibus ex talibus actibus iuxta varias sententias: sed sacramentum consistit in rebus, & vocibus, quatenus denominantur signa nostræ sanctificationis ab institutione diuina, vel etiam humana, & ab intentione ministri, quæ institutio, & inten-

tio

is, per quæ mutuus ille consensus constitui-  
tur validus.

17. Ad 1. 2. & 3. concedo sacramentum constitui per voces vt significatiuas, tum politice, tum sacramentaliter, & vt adhibitas à ministro cum intentione vtendi significatioue, tum politica, tum sacramentali; sed nego voces constitui formaliter significatiuas politice, & sacramentaliter per institutionem humanam, ac diuinam, & per intentionem ministri, cum hanc denominationem formalem significantis politice, & sacramentaliter, habeant formaliter à modo relatiuo, quo pendent ab vtraque institutione, & ab intentione ministri, vt explicatam est.

18. Ad 4. concedo maiorem, & nego minorem, & eius suppositum. Nam non posita intentione ministri, non poneretur modus relationis dependentiæ ab intentione ministri, qui modus poni non potest sine tali intentione; sed hic modus est vnum ex constitutivis intrinsecis, & essentialibus sacramenti; ergo non posita intentione, non ponerentur omnia constitutiva intrinseca sacramenti.

19. Dices: si per impossibile non poneretur intentio ministri, & poneretur iste modus, sacramentum non poneretur; ergo intentio non solum extrinsecè, & casualiter, sed intrinsecè, & formaliter constituit sacramentum.

Respondeo, quod ex illa suppositione impossibili per locum intrinsecum, seu per consequentiam immediatam sequitur, quod sacramentum poneretur. Valet enim: daretur modus dependentiæ, & reliqua constitutiva intrinseca sacramenti; ergo sacramentum daretur. At per locum extrinsecum, seu per consequentiam mediatam sequitur, quod sacramentum non poneretur. Nam valet: non daretur intentio ministri: ergo non daretur modus dependentiæ ab intentione ministri, qui modus est vnum ex constitutivis intrinsecis, & essentialibus sacramenti: ergo non daretur sacramentum. Simili modo responderi debet ad sophisma, quo probati potest hominem constitui intrinsecè per Deum, sic arguendo. Si per impossibile daretur corpus, & anima rationalis, & eorum vnio, ac non daretur Deus, homo non esset: ergo homo constituitur intrinsecè per Deum. Dicendum enim, quod ex illa suppositione impossibili per locum intrinsecum, & per consequentiam immediatam sequeretur, quod homo esset, cum essent omnia eius constitutiva intrinseca, & essentialia: at per locum extrinsecum, seu per consequentiam mediatam, non esset. Nam valet: Deus non esset: ergo neque esset anima, neque corpus, neque vnio, quæ essentialiter pendent à Deo: ergo homo non esset.

io est actus intellectus, vel voluntatis, vel quatenus denominantur à relatione resultante in rebus, & vocibus ex actibus intellectus, vel voluntatis, iuxta nostram sententiam: ergo &c. Addo, quod quia res vt denominata extrinsecè ab actibus intellectus dicuntur entia rationis logica, res vt denominata extrinsecè ab actibus voluntatis, dicuntur potius entia moralia, ideo sacramentum potius dici debet ens morale, quam ens rationis logicum.

7. Quæres, vtrum in nostra sententia docente sacramentum constitui per modum relatiuum, debeat dici constitui per relationem realem, vel rationis?

Respondeo, quod si relatio rationis dicitur, quæ non datur à parte rei, sed fingitur ab intellectu, sacramentum non constituitur per relationem rationis, sed per realem, si verò relatio rationis dicitur, quæ fundatur in actu intellectus, aut voluntatis, ex quibus realiter resultat sacramentum, constituitur per relationem rationis; Scotus, Sotus, & Vasquez, dum dicunt sacramentum constitui per relationem rationis sumunt relationem rationis in hoc secundo sensu.

8. Ad argumentum in contrarium distinguo maiorem: quod secundum omnia sua constitutiva intrinseca existit à parte rei independenter ab actibus rationis extrinsecè denominantibus non est ens rationis logicum, neque ens morale, sed ens reale, concedo; ab actibus rationis, & voluntatis, nego: distinguo eodem pacto minorem, & nego consequentiam. Sicut vniuersale, prædicatum, subiectum &c. licet secundum omnia sua constitutiva existant à parte rei, ramen, quia existunt dependenter ab actibus intellectus extrinsecè denominantibus, dicuntur entia rationis logica, sic sacramentum dicitur ens rationis logicum, vel potius ens morale. Eadem enim est ratio.

### QVAESTIO LVIII.

*Vtrum sacramentum possit proprie definiri?*

1. Videtur sacramentum non posse proprie definiri: primo, quia ex doctrina Aristoteles 7. met. cap. 4. t. 15. 16. & 17. cum definitio sit oratio explicans, quid sit res, siue essentiã rei, illa solum possunt proprie definiri, quæ sunt quid; sed solæ substantiæ completæ sunt quid, accidentia autem non sunt quid, sed quale, vel quantum &c. ergo solæ substantiæ completæ possunt proprie definiri, ac proinde sacramentum, cum non sit substantia, sed compositum quoddam accidentale, non potest proprie definiri.

2. Secundo quod est vnum, non per se, sed solum per accidens, definiri non potest; sed sacramentum est vnum, non per se, sed solum per accidens; ergo &c.

3. Tertiò definitio debet explicare, quid

res sit extra animam, & independenter ab anima, & ab actibus animæ, ideoque ens rationis logicum, hoc est secundæ intentiones, & entia moralia, cum habeant esse dependente ab actibus intellectus, & voluntatis, non possunt proprie definiri; sed sacramentum ex dicto est ens rationis, vel morale: ergo &c.

4. Quarto definitio debet essentialiter, ac necessario conuenire definito: sed definitio sacramenti non essentialiter, ac necessario, sed accidentaliter, & contingenter conuenit definito: ergo &c. Probat minor: nam neque conuenit necessario illi, quod importatur in recto, ac denominatur sacramentum, hoc est rebus, ac verbis: siquidem res, & verba non essentialiter, ac necessario, sed accidentaliter, & contingenter sunt signabilia sanctificationis hominis, neque necessario conuenit illi, quod importatur in obliquo, hoc est diuinæ institutioni, vel relationi ad diuinam institutionem, cum neque institutio, neque talis relatio sit signum sensibile sanctificationis hominis: ergo &c.

5. Respondeo ex Aristotele 7. metaph. cap. 4. text. 15. 16. 17. quod quia essentia, in quidditas dicitur ab esse, tot modis dicitur essentia, & quidditas, quot modis dicitur ens, sed ens dicitur analogicè, ac primo dicitur de substantia, quæ simpliciter, & absolute est ens, secundo dicitur de accidentibus, quæ notam sunt ens, quam entis ens: ergo essentia, & quidditas primo dicitur de essentia, & quidditate substantiali, quæ simpliciter, & absolute est quidditas; secundo de accidentali, quæ est quidditas secundaria; sed definitio est oratio explicans, quid sit res, seu essentiam, & quidditatem rei: ergo res proportionaliter possunt definiri, ac sunt quid, ac proinde substantia completa, quæ primario est quid, potest definiri primario; substantiæ incompletæ, & accidentia, quæ secundario sunt quid, possunt secundario definiri. Verba Aristotelis sunt: *An definitio quoque, & ipsum quid est, multipliciter dicitur. Etenim ipsum quid est uno quidem modo substantiam, & quod quid significat, alio vero signum gula eorum, quæ prædicantur, quantitatem, qualitatem, & quæcumque cetera talia sunt. Quænam modum enim & ipsum est inest quidem omnibus, non tamen similiter, sed huic quidem primo, illis vero consequenter, ita & quod quid est primo quidem substantiæ, cæteris verò quodammodo. Etenim interrogare possumus, quid est ipsum quale. Quare, & ipsum quale est eorum, quorum est quid est, non tamen simpliciter. Hactenus Aristoteles. Paulò post concludit. Illud autem manifestum est, quod primo, & simpliciter definitio quod quid erat essentiarum est, & cæterarum similiter, non tamen primo.*

6. Ex hac doctrina sequitur primo sacramentum posse proprie, sed secundario definiri. Ratio est, quia sacramentum est proprie ens, sed secundario: ergo proprie est quid, sed secundario: ergo non est, cur non possit proprie definiri, sed secundario, Nec abstractum quod

quod sacramentum habeat esse per actum animæ, vel dependens ab actu animæ. Cum enim illud esse, seu consistat in ipso actu animæ, à quo denominatur extrinsecè, seu consistat in relatione ad actum animæ, sit proprium esse, est capax propriæ definitionis. Ex proportionali ratione entia rationis logica, puta prædicatum, subiectum &c. possunt propriè definiri.

7. Sequitur secundo ea, quæ non sunt entia propriè, sed solum abusiue, qualia in sententia multorum sunt negationes, & priuationes, posse definiri solum impropiè, & abusiue. A fortiori solum impropiè, & abusiue potest definiri impossibile metaphysicum, puta Hircocerus, cum sit ens maximè abusiuum, ac dicatur ens, quia licet non possit esse, potest concipi, ac proindè potest habere esse, solum obiectiue in intellectu.

8. Sequitur tertio, quod quia definitio est oratio explicans, quid sit res, per sua principia metaphysica intrinseca, hoc est per genus, & differentiam, Deus, qui est substantia ita simplex, vt non constet ex genere, & differentia, non potest propriè definiri, sed est supra omnem definitionem. Ratio, cur Deus propriè non constet ex genere, & differentia, est, quia genus desumitur à materia, differentia à forma; ergo Deus, qui est ita simplex, vt nihil in eo habeat rationem materiæ, ac potentiæ perfectibilis, propriè non constat ex genere, & differentia.

9. Ad 1. Patet ex dictis, quod quia accidentia sunt propriè, sed secundario quid, definiri possunt propriè, sed secundario.

10. Ad 2. Quod est vnum per accidens, sicut verè est ens, & vnum, sic verè est vnum quid, ideoque potest definiri vna definitione. Adde, quod vnum per accidens, tum naturale, tum artificiale, sicut cadit sub vnam intentionem naturæ, vel artis, & repræsentatur per vnam ideam, sic definiri potest vna definitione.

11. Dices: Aristoteles locis supra citatis docet Iliadem ex. gr. definiri non posse, quia est aliquid vnum solum per accidens: ergo existimat ens per accidens non posse definiri.

Respondeo, negando antecedens, ac dico Aristotelem duo asserere. Primo asserit non sufficere ad definitionem, vt sit oratio explicans id, quod significat nomen: alioquin sequeretur, quod tota Ilias Homeri esset definitio, cum sit ratio explicans id, quod significat hoc nomen Ilias, ideoque posset aliquis interrogatus, quid sit Ilias? respondere, recitando totam Iliadem, ac dicere Ilias est hoc. Secundo insinuat ea, quæ sunt vnum sola coniunctione, vel colligatione plurium inter se, non posse definiri, ac Iliadem ex hoc capite definiri non posse. Cæterum non negat vniuersim composita accidentalialia, tum naturalia, tum artificialialia posse propriè definiri, imò hoc expressè concedit. Verba Aristotelis sunt. *Non enim est necesse, si hoc ponamus, huius definitionem,*

*esse quodcumque oratione idem significat, sed quod aliqua oratione. Hoc autem si vnum sit, non conuentione, sicut Ilias, aut quacumque coniunctione, sed quoties dicitur vnum. Quare, & alibi hominis erit ratio, & definitio; alio verò modo, & alibi, & substantia. Videri potest Vasquez tom. 2. in 3. par. disp. 128. cap. 2.*

12. Ad 3. Quia etiam esse, quod res habet per actum animæ, vel dependenter ab actibus animæ, potest esse verum, & reale esse, ideo oratio explicans hoc esse potest esse propriæ definitio, vt explicatum est.

13. Ad 4. Concedo maiorem, & nego minorem. Ad probationem, distinguo maiorem: definitio sacramenti, neque conuenit essentialiter ei, quod sacramentum importat in recto, neque ei, quod importat in obliquo, seorsim sumptis, concedo; simul sumptis, nego. Definitio hominis non conuenit corpori, neque animæ seorsim sumptis; siquidè neque corpus seorsim ab anima est animal rationale, neque anima seorsim à corpore est animal rationale; sed conuenit composito ex anima, & corpore, siuè animæ, & corpori vnitæ, ac simul sumptis. Proportionaliter definitio sacramenti, neque conuenit rebus, & verbis seorsim à significatione sacramentali, neque significationi sacramentali seorsim, à rebus, & verbis, sed conuenit composito accidentaliter ex rebus, & verbis, & ex significatione sacramentali. Tali autem composito conuenit essentialiter, & necessario, cum tale compositum essentialiter, & necessario sit signum sensibile &c. Adde, quod licet non sit de essentia partium, vt actu constituent compositum, tamen est de earum essentia, vt sint aptæ ad constituendum compositum.

## TRACTATUS VII.

*De existentia, & necessitate sacramentorum pro quolibet statu.*

## QVÆSTIO LIX.

*Vtrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem?*

*S Thom. quæst. 61. art. 1.*

1. **V**identur non esse necessaria: primo, quia Deus potuisset homines sanctificare, & saluare sine vllis sacramentis: ergo.

2. Secundo posita causa sufficientissima, non sunt necessaria: alia causa, sed Christus per suam passionem, & mortem est causa sufficientissima nostræ sanctificationis, & salutis: ergo non fuerunt necessaria sacramenta.

TERTIO

3. Tertio si dicatur, quod fuerint necessaria, non simpliciter, ita ut sine sacramentorum institutione non posset obtineri finis nostræ sanctificationis, & salutis, sed necessitate congruitatis, & conuenientiae, ita ut non posset congruè obtineri, contra est: nam non fuit congruum Deo, ut ad nostram sanctificationem, & salutem institueret instrumenta inepta; sed sacramenta sunt instrumenta inepta ad nostram sanctificationem, & salutem: ex. gr. ablutio corporis per aquam baptismatis est instrumentum ineptum ad hominem sanctificandum, & mundandum à peccatis: ergo &c.

4. Quarto non est conueniens homini, qui est creatura rationalis, ut in sua spirituali sanctificatione dependeat à creaturis irrationalibus; sed per institutionem sacramentorum dependet: ergo &c.

5. Quinto non fuit conueniens, ut postquam homo per peccatum debilitatus fuit in ordine ad obseruantiam præceptorum, adderentur illi noua præcepta, & sic arctaretur via salutis; sed per institutionem sacramentorum homini post peccatum addita sunt noua præcepta suscipiendi sacramenta, & sic arctata fuit via salutis; ergo &c.

Respondeo, quod S. Thomas postquam quæst. 60. egit de essentia, & constitutiuis sacramentorum, quæst. 61. agit de eorum existentia, & necessitate. Art. igitur primo quærit, vtrum sacramenta sint necessaria ad humanam salutem? Respondet affirmatiuè. Probat tribus rationibus. Prima ratio desumpta ex conditione humanæ naturæ est. Deus prouidet vnicuique iuxta modum, & conditionem suæ naturæ; sed naturale est homini, ut per sensibilia; & corporalia perducatur ad intelligibilia, & spiritualia: ergo conueniens fuit, ut diuina prouidentia per signa corporea, & sensibilia conferret homini auxilia ad consequendam sanctitatem, & salutem spiritualem, & intelligibilem; sed talia signa dicuntur sacramenta: ergo conueniens fuit, ut Deus institueret sacramenta. Hæc ratio desumpta est ex pluribus Sanctis Patribus, & præsertim ex Chrysostomo, & Nazianzeno. Chrysostomus enim homil. 83. in Matth. dicit. *Si tu incorporeus esses, munda tibi Deus, & incorporea dona tradidisset. Sed quoniam corpori adiunctum spiritum habes, in rebus corporeis spiritualia tibi traduntur.* Nazianzenus autem oratione de Baptismo dicit, ideo baptismum constare ex aqua, & spiritu, quia medicamentum partim spirituale, partim corporale aptissimè conuenit in eos ægrotos, quorum natura spiritu, & corpore continetur.

6. Secunda ratio desumpta ex statu hominis post peccatum est. Homo per peccatum se subdidit rebus sensibilibus, & corporeis, ijque per affectum inhæret; sed medicamenta dari debent ægrotis in ijs rebus, quibus ægrotus per affectum inhæret, ut libenter ab ægrotis sumantur; ergo in rebus sensibilibus,

& corporeis debuerunt institui sacramenta, hoc est medicamenta hominis ægroti post peccatum, ut libenter ab homine sumantur. Nam si homini proponerentur medicamenta purè spiritualia, non libenter sumerentur.

7. Tertia ratio desumpta ex studio actionis humanæ est. Homo libenter per actionem exercetur circa res corporeas, & difficulter ab illis abstrahitur; ergo sacramenta debuerunt institui in quibusdam actibus corporeis, quibus homo libenter, & salubriter exercetur, & sic euitaret actiones superstitiosas, & alias actiones malas.

8. Concludit S. Thomas, quod per institutionem sacramentorum homo conuenienter suæ naturæ eruditur per sensibilia, humiliatur cognoscens se subiectum esse corporibus, dum illi per corporalia subiuenitur, præseruatur etiam à noxijs actionibus per salubria exercitia sacramentorum. Hinc patet tres rationes S. Thomæ continere virtualiter tres rationes Hugonis de Sancto Victore lib. 1. de sacramentis, par. 9. cap. 3. & Magistrum in 4. dist. 4. desumptas ex eo, quod sacramenta sint vtilia ad hominis eruditionem, humilationem, & exercitationem.

9. Addi potest quarta ratio desumpta ex vnitatem religionis, quam rationem affert Sanctus Thomas in argumento, sed contra: quæ ratio est. Ut docet S. Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 11. *in nullum nomen religio, seu verum, seu falsum coadunari homines possunt, nisi aliquo signaculorum, seu sacramentorum vobilitum consortio colligentur; sed necessarium est ad humanam salutem homines adunari in vnum veræ religionis nomen: ergo &c.* In maiori declaratione doctrinæ huius articuli debet aduerti primo, quod aliud est agere de necessitate institutionis, aliud est agere de necessitate vti sacramentorum, supposita eorum institutione. S. Thomas in hoc articulo agit de necessitate institutionis, ac quærit, vtrum fuerit ad salutem humanam necessarium, ut Deus institueret sacramenta. De necessitate vti sacramentorum, supposita institutione, agit inferius, cum de singulis sacramentis disputat.

10. Debet aduerti secundo necessarium dici dupliciter. Primo necessarium dicitur, sine quo finis simpliciter non potest obtineri. Secundo necessarium dicitur, sine quo finis non potest ita congruè, & conuenienter obtineri. Certum est sacramentorum institutionem non fuisse simpliciter necessariam ad humanam sanctificationem, & salutem, ita ut sine sacramentis homo non posset absolute sanctificari, & saluari. Deus enim procul dubio potuisset hominem sanctificare, & saluare sine vllis sacramentis. S. igitur Thomas solum docet sacramentorum institutionem fuisse necessariam necessitate conuenientiae: patet ex rationibus allatis, ex quibus solum conuenientiam concludit.

11. Debet aduerti tertio, quod quia de fide est Deum instituisse sacramenta, ut de

singulis ostenditur suis locis, Deus autem non potest operari nisi convenienter, de fide est sacramenta fuisse convenienter instituta. Quia tamen ex Ethnicis Pophyrus, ex hæreticis, vt refert Irenæus lib. 1. cap. 8. & Epiphanius hæres. 34. sectatores cuiusdam Marci, qui ab eo dicti sunt Marcolij, nec non Archontici, vt refert idem Epiphanius hæres. 44. & Ascrobite vt refert Theodoretus lib. 1. hæreticarum fabularum, impugnarunt hunc articulum fidei de institutione sacramentorum, ex eo, quod inconueniens est, vt homo, qui est animal rationale, & nobilissimum, ira subdatur debeat accipere suam spiritualem sanctificationem, & salutem; ideo S. Thomas contra eos ostendit hoc ipsum fuisse convenientissimum. Quinam hæretici negauerint convenientiam sacramentorum videri potest apud Vasquez hic, quæst. 61. art. 4. vbi notat recentiores hæreticos non negasse vniuersim sacramenta, & eorum convenientiam, sed solum errasse circa sacramentorum numerum, causalitatem &c. vt infra explicabitur.

12. Potest quæri, vtrum in natura pura; quæ nimirum non fuisset eleuata ad statum supernaturalem gratiæ, & visionis beatæ, fuissent sacramenta.

Respondeo, quod quandoquidem in natura pura non daretur gratia, & sanctitas supernaturalis, procul dubio non fuissent sacramenta, qualia nunc sunt, hoc est significatiua, & collatiua gratiæ, & sanctitatis supernaturalis. Probabile tamen est, quod sicut in eo statu homines naturali instinctu instituerent aliqua sacrificia, quibus Deum colebant, sic instituerent aliqua sacramenta minus propria, hoc est quasdam ceremonias sensibiles, quibus homines diuino cultui consecrarent.

13. Dices. In pura natura homines essent procliuus ad peccandum etiam mortaliter; ergo ne statim post commissum peccatum mortale desperarent de salute, hoc est de consecutione sui vltimi finis naturalis, dari deberet aliquod remedium, quo possent obtinere remissionem peccati; ergo deberet dari aliquod sacramentum proprium, ex diuina institutione tribuens remissionem peccatorum.

Respondeo, transeat antecedens, & prima consequentia, & nego secundam consequentiam. Transmisso, quod in pura natura deberet dari aliquod remedium ad obtinendam remissionem peccatorum, tale remedium deberent esse actus poenitentiae proprii illius status, ac proinde non deberet dari sacramentum proprium, hoc est ex diuina institutione infallibiliter per se ipsum conferens remissionem peccatorum. Sed quomodo se habuisset status puræ naturæ est incertum, cum talis status nunquam fuerit, ac Deus de illo nihil reuelauerit.

Tom. III.

14. Ad 1. Argumentum probat solum sacramenta non esse necessaria simpliciter, at non probat non esse necessaria necessitate conuenientiae, & congruitatis, vt explicatum est.

15. Ad 2. Distinguo maiorem: posita causa sufficientissima, non sunt necessariae necessitate conuenientiae aliæ causæ illius participatiuæ, & applicatiuæ, nego; aliæ causæ principales, & eiusdem generis, concedo; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Posito fonte sufficientissimo, non requiritur alius fons, sed possunt requiri canales, qui participant, & applicent aquam fontis. Proportionaliter posito Christo, qui per suam passionem, & mortem est causa sufficientissima nostræ sanctificationis, & salutis, non requiritur alius Christus, neque requiritur, vt Christus iterum moriatur, sed requiruntur sacramenta, tamquam causæ participantes virtutem passionis Christi, eamque applicantes ijs, qui sacramenta suscipiunt.

16. Ad 3. distingo maiorem: non fuit congruum Deo, vt ad nostram sanctificationem, & salutem adhiberet instrumenta inepta relatiuè ad ipsum Deum, concedo; inepta relatiuè ad creaturas, nego: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Est conueniens ei, qui magnam habet virtutem, vt ad magnum effectum vtatur instrumentis ineptis relatiuè ad alios, sed non ineptis relatiuè ad agens tantæ virtutis: ex. gr. fuit conuenientissimum, vt Sampson, qui magnas habebat vires, ad occidendos mille hostes, vteretur maxilla asini, quæ licet respectu aliorum erat instrumentum ineptum ad tantam occisionem, respectu ipsius erat instrumentum aptissimum; sed sacramenta, licet respectu creaturarum sint instrumenta inepta ad nostram sanctificationem, tamen respectu diuinæ omnipotentiae sunt instrumenta valde apta; ergo fuit Deo conuenientissimum, vt ad nos sanctificandos vteretur sacramentis.

17. Ad 4. nego maiorem. Sicut homo ita est rationalis, vt discurrat dependenter à sensibus, sic conueniens fuit, vt sanctificaretur cum aliqua dependentia à creaturis sensibilibus, & irrationalibus. Adde alias rationes allatas in resolutione quæstionis.

18. Ad 5. distingo maiorem: non fuit conueniens, vt homini debilitato per peccatum originale adderentur noua præcepta facilia, & facilitantia, nego; difficilia, & non-facilitantia, transeat: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Vt notat S. Bonauentura in 4. distinct. 1. art. 1. qu. 1. duplex est onus, alterum onerans, alterum alleuians. Onus onerans est, quod diffultat motum. Onus alleuians est, quod faciliat motum: huiusmodi sunt rotæ in curribus, alæ in auibus &c. quæ sunt onera, sed alleuiantia, & facilitantia motum. Præcepta suscipiendi sacramenta sunt onera alleuiantia, quia sunt

R præ-

præcepta facilitantia ad obtinendam salutem, & ad obseruanda alia præcepta. Adde, quod licet præcepta sacramentorum arctent viam salutis, tamen reddunt illam faciliorem, & planiorem. Non enim repugnat, vt via arcta sit planior, & facilior, quam via lata.

### QVAESTIO LX.

*Vtrum in statu innocentia ante peccatum fuerint homini necessaria sacramenta?*

S. Thom. quest. 61. art. 2.

1. **V**identur fuisse necessaria: primo, quia ideo post peccatum fuerunt necessaria sacramenta, quia homo naturaliter per sensibilia percipit intelligibilia; sed etiam in statu innocentia homo per sensibilia percipiebat intelligibilia: ergo &c. Probat minor. Vt enim docet S. Thomas 1. par. qu. 94. artic. 2. Adam intelligebat per conuersionem ad phantasmata sensibilia, & vt docet idem quest. 111. posteri Adæ acquisiissent scientiam ex sensibilibus.

2. Secundo sacramenta de facto sunt instituta non solum ad hoc, vt homo per illa sanctificetur, sed etiam, vt per ipsa profiteatur Deum esse authorem gratia, ac nostræ sanctificationis; sed etiam in statu innocentia debuissent homines per aliquod signum sensibile profiteri Deum esse authorem gratia, & sanctificationis: ergo &c.

3. Tertio in statu innocentia fuissent externa, & sensibilia sacrificia, quibus homines Deum colerent: ergo etiam fuissent sacramenta, quibus à Deo sanctificarentur.

4. Quarto in statu innocentia homines peccassent, saltem venialiter: ergo indigni fuissent aliquo sacramento mundante à venialibus.

5. Quinto matrimonium fuit institutum ante peccatum; sed matrimonium fuit sacramentum, ideoque Apostolus ad Eph. 5. de matrimonio Adæ cum Heua dicit, *Sacramentum hoc magnum est*: ergo &c. Lignum etiam vitæ, quod fuerat plantatum in medio paradisi, erat figura Eucharistia, ac videtur fuisse sacramentum.

6. Respondeo, quod quia natura humana fuit in duplici statu, nimirum in statu innocentia, antequam primi parentes peccarent, qui vocatur etiam status naturæ integræ, & in statu naturæ lapsæ, ac deprauatæ per peccatum primorum parentum; ideo S. Thomas agit de existentia, & de necessitate sacramentorum pro utroque statu, & primo pro statu naturæ innocentis, & integræ. Et quidem omnes, vel penè omnes Theologi docent, quod cum Scriptura non faciat mentionem ullius sacramenti, quod fuerit in statu innocentia, non est asserendum de facto vllum sa-

cramentum fuisse in eo statu, antequam Adam peccaret.

7. Addit S. Thomas, quod in statu innocentia ante peccatum sacramenta non fuerunt necessaria, necessitate nimirum conuenientia. Probat ex reſtitutione illius status, qui consistebat in hoc, vt per donum integritatis superiora inferioribus dominarentur, & præsertim quoad supernaturalia nullo pacto dependerent ab inferioribus. Sicut enim menti subiecta erat Deo per obedientiam, illi menti subiecta erant inferiores animæ vires, & ipsi animæ subiectum erat corpus; sed fuisset contra perfectionem illius status, vt homines per sacramenta gratiam supernaturalem acciperent dependerent à rebus materialibus, & sensibilibus: ergo &c. Hinc concluditur, quod non solum in statu innocentia non fuissent necessaria sacramenta medicinalia, quæ adhibentur contra vulnera peccati: nam vt dicitur Matth. 9. *Non est opus sanis medicis, sed malè habentibus*, sed neque fuissent conuenientia sacramenta purè perfectiua, & augmentatiua gratia: siquidem in statu, in quo homines, præsertim quoad supernaturalia non dependebant ab inferioribus, non debuerunt accipere gratiam supernaturalem dependerent à rebus inferioribus, materialibus, & sensibilibus.

8. Quæritur, vtrum si Adam non peccasset, ac proinde status innocentia durasset, fuissent sacramenta?

9. Plures sunt sententia. Prima Durandi in 4. distinct. 1. quest. 2. docet in statu innocentia, si durasset, non futura sacramenta collatiua gratia, sed futura sacramenta, in quantum sunt ceremonia sensibiles, quibus homo protestatur, Deum esse authorem gratia, qua supernaturaliter sanctificamur.

10. Secunda sententia Alexandri de Aleo 4. par. quest. 1. memb. 2. art. 1. docet non futura sacramenta medicinalia, sed futura sacramenta purè perfectiua, & augmentatiua gratia.

11. Tertia Soti in 4. distinct. 1. quest. 2. art. 1. docet in statu innocentia, si durasset, nec futura sacramenta medicinalia, neque purè perfectiua, neque in quantum sunt externa ceremonia protestatiua Dei, vt authoris gratia, & addit hanc esse sententiam communem.

12. Quarta sententia Suarij to. 3. in 3. part. disput. 3. sect. 3. docet, in statu innocentia, si durasset, non solum futura externa sacrificia, externas oblationes, & protestationes Dei, vt authoris gratia, sed etiam futura vera sacramenta, non quidem medicinalia, sed purè perfectiua, & augmentatiua gratia, ac præsertim futurum sacramentum Eucharistia (existimat enim Suarius, quod si Adam non peccasset, Verbum nihilominus fuisset incarnatum) & probabiliter sacramentum ordinis, quod ordinatur ad Eucharistiam.

13. Dicendum cum prima sententia Durandi,

randi, quam existimo S. Thomæ, & omnium antiquorum: in statu innocentia, si durasset, fuissent externa sacrificia, oblationes, & sensibiles ceremoniæ, quibus homines etiam sensibilibus protestarentur Deum esse auctorem gratiæ, sed non fuissent propria sacramenta, non solum medicinalia, sed neque purè perfectiva.

14. Probatur prima pars, quæ est contra Socum. Nam in statu innocentia, si durasset, homines coluissent Deum illo cultu, qui esset conueniens tali statui naturæ integræ: sed statui innocentia, ac naturæ integræ esset conueniens, vt quandoquidem homo constaret ex anima, & corpore, coleret Deum cultu, non solum spirituali, & intelligibili, sed etiam corporali, & sensibili, hoc est per externa sacrificia, oblationes, & protestationes externas Dei etiam vt auctoris gratiæ: ergo &c. Videtur autem hoc ab omnibus supponi, & à nullo negari, excepto Soto.

15. Probatur secunda pars contra Alexandrum, & Suarezium ratione S. Thomæ. Nam in statu innocentia, si durasset, nihil daretur inconueniens reëtitudine illius status; sed esset inconueniens reëtitudini illius status, vt homines quoad gratiam supernaturalem dependerent à rebus materialibus, & sensibilibus: ergo &c. Hinc patet, quod licet S. Thomas in hoc articulo respõdeat directè solum quæstioni absolutæ, qua quæritur, vtum in statu innocentia ante peccatum fuerint sacramenta, non autem quæstioni conditionatæ, qua quæritur, vtum in statu innocentia, si durasset, fuissent necessaria sacramenta, tamen etiam indirectè respondet huic quæstioni conditionatæ, cum afferat rationem, quæ probat sacramenta non futura conuenientia statui innocentia, si durasset. Adde, quod idem S. Thomas in 4. distinct. 1. art. 2. quæst. 2. videtur respondere directè etiam quæstioni conditionatæ, cum dicat: *ideo dicendum est cum alijs, quod in statu innocentia sacramenta non fuissent necessaria.*

16. Adde rursus, quod vt probat Vasquez hic disput. 130. cap. 2. nullus ex antiquis absolute dixit in statu innocentia, si durasset, futura sacramenta. Licet enim Alexander loco citato id probabiliter defendat, tamen post solutionem quarti argumenti existimat probabilius sacramenta non futura in statu innocentia; siquidem concludit: *ex Scripturis tamen sacris non plene est istud manifestum. Vnde illi parti magis adhaereo, quod sacramenta statum naturæ lapsæ respiciant.* Scotus in 4. distinct. 1. qu. 3. S. de 3. artic. dicit pro statu innocentia non fuit congruum constitui sacramenta, sicut post lapsum. Idem expressè docent Richardus in 4. distinct. 1. art. 2. quæst. 1. Gabriel ibidem, quæst. 2. Paludanus quæst. 3. conclus. 2. Maior quæst. 4. Caietanus, Sotus, & alij, quos refert, & sequitur Vasquez hic loco citato.

17. Infertur primo, quod in statu innocentia, si durasset, sacramenta non fuissent,

etiamsi admittamus cum Scoto, quod etiam tunc Verbum fuisset incarnatum. Ratio est, quia tunc Verbum incarnatum perfecisset hominem perfectione conuenienti, non autem inconuenienti statui innocentia; sed non esset conueniens statui innocentia, vt homo gratiam supernaturalem acciperet dependenter à rebus materialibus, & sensibilibus: ergo &c.

18. Infertur secundo, quod si status innocentia durasset, sacramenta non fuissent ex vi præsentis decreti. Deus enim per præsentis decretum voluit statum innocentia cum perfecta reëtitudine, qua homo quoad supernaturalia non dependeret à materialibus, & sensibilibus, ac proinde voluit conditionatè, vt si durasset, non darentur sacramenta, in quibus quoad gratiam supernaturalem dependeret à materialibus, & sensibilibus.

19. Ad 1. Idco post peccatum sunt necessaria sacramenta, quia homo naturaliter per sensibilia percipit intelligibilia, & non habet donum integritatis, & reëtudinis, per quod præsertim quoad supernaturalia non dependeat ab inferioribus; sed in statu innocentia haberet hoc donum; ergo in eo statu sacramenta non essent necessaria, neque conuenientia.

20. Ad 2. concedo cum Durando, quod in statu innocentia, si durasset, fuissent ceremoniæ sensibiles, quibus homines profiterentur Deum esse auctorem gratiæ, sed dico istas ceremonias non futuras sacramenta propria, ad quæ requiritur, vt sint etiam causæ nostræ sanctificationis, vt explicatum est suo loco.

21. Ad 3. Concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia esset conueniens statui innocentia, vt homo coleret Deum etiam per sacrificia sensibilia; at esset inconueniens reëtitudini illius status, vt quoad gratiam supernaturalem dependeret à rebus materialibus, & sensibilibus, vt explicatum est.

22. Ad 4. Plures auctores, quos secutus sum in Tractatu de Incarnatione q. 18. docent, quod si Adam non peccasset, omnes homines nati fuissent confirmati in gratia, ac proinde nullus peccasset mortaliter. Aliqui cum Scoto dicunt, quod sicut Apostoli, & quidam alij, licet fuerint confirmati in gratia, tamen peccarunt venialiter, sic in statu innocentia. Alii citantes S. Thomam asserunt, quod neque peccassent venialiter; alioquin Paradisus plenus fuisset malis culpæ, & per consequens etiam malis pœnæ, doloris, pœnitentiæ, lachrymarum, quæ mala videtur repugnare illi felicitati, qua Augustinus contra Iulianum Pelagianum docet homines fruituros in Paradiso. Sed transmissio, quod darentur peccata venialia, nihilominus dico, quod remedium peccatorum venialium non deberent esse sacramenta, sed actus pœnitentiæ, amoris Dei &c.

23. Ad 5. Matrimonium Adami cum

*vide, quod dicitur  
hæc uoluntate  
ante eum usque  
dicitur h. 1.  
q. 274. n. 20.  
ad quæst. n. 19.*

Heu non fuit sacramentum proprium collatiuum gratiæ, sed ab Apostolo dicitur sacramentum latè sumptum, quia fuit signum spiritualis coniugij Christi cum Ecclesia, vt explicatum est supra. Lignum etiam vitæ non fuit sacramentum collatiuum gratiæ, sed solum fuit reparatiuum caloris, & humidi radicalis, ac præseruatiuum à morte, licet in quantum erat figura Eucharistiæ, dicatur sacramentum latè sumptum.

### QVAESTIO LXI.

*Virum post peccatum in statu legis naturæ fuerit necessarium aliquod remedium ad paruulos iustificandos à peccato originali?*

1. **V**idetur non fuisse: primo, quia hoc remedium deberet colligi, vel ex Scriptura, vel ex traditione; sed ex his non colligitur: ergo &c.

2. Secundo Deus etiam post institutum baptismum non prouidit vllum remedium pro paruulis, qui moriuntur in vtero matrum, antequam nascantur; ergo non est absurdum, quod ante institutam circumcisionem non prouiderit vllum remedium pro paruulis, qui moriebantur ante vsum rationis.

3. Respondeo, quod S. Thomas postquam ostendit sacramenta non fuisse in statu naturæ innocentis, & integræ, examinat, an fuerint in statu naturæ lapsæ per peccatum Adæ, sed reparatæ per Christum. Et quia status naturæ lapsæ, ac reparatæ per Christum, potest subdividi in tres status, nimirum in statum legis naturæ, statum legis Mosaicæ, & statum legis Euangelicæ, ideo agit de existentia, & necessitate sacramentorum pro tribus istis statibus. Ad clariorem intelligentiam, & resolutionem huius quæstionis, per varia quæstia explicandi sunt tres isti status.

4. Quæritur igitur primo, vtum tota natura humana per peccatum Adami fuerit ita lapsa, & vitata, vt indiguerit remedio, & reparatione?

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia post peccatum Adami omnes homines nascuntur spoliati gratia, & donis gratuitis, vulnerati in naturalibus, & infecti peccato originali, cui debetur pœna æterna damni, hoc est prinitio æternæ beatitudinis; sed per vires naturales non possumus physicè liberari à peccato originali, & à vulneribus per peccatum acceptis, multo minus possumus recuperare dona gratuita, & liberum arbitrium est ita attenuatum, & debilitatum, vt moraliter per vires naturæ non possumus obseruare totam legem, & non incidere in noua peccata mortalia, quibus debetur æterna pœna sensus; ergo tota natura humana indiguit reparatione, sine qua tota periisset, & fuisset damnata.

5. Quæritur secundo, vtum Deus statim, vel penè statim post peccatum Adami reparerit naturam humanam, instituendo aliquod remedium, per quod Adam, eiusque posterius possent à peccato liberari, recuperare gratiam, & consequi æternam beatitudinem, ac salutem?

Respondeo affirmatiuè. Probat. Nam de factò Adam liberatus est à peccato: siquidem vt dicit Scriptura Sap. 10. loquens de diuina Sapientia, hæc illum, qui primus formatus est à Deo Pater Orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, & eduxit eum à delicto suo. Rursus Abel, Noc, Henoch, alijque permulti iustificati fuerunt à peccato originali, & fuerunt sancti, iusti, atque perfecti; sed Adam, Aba &c. non potuerunt iustificari à peccato, recuperare gratiam, esse sancti, iusti, atque perfecti, nisi Deus instituisset aliquod remedium per quod possent iustificari, & saluari; ergo &c.

6. Quæritur tertio, quodnam fuerit hoc remedium?

Respondeo, quod fuit fides in Christum venturum, quæ fides per charitatem operabatur. Vt enim loquitur Apostolus ad Rom. 3. *Sanctificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iniustitiæ suæ, vt sit ipse iustus, & iustificans eum, qui ex fide est Iesu Christi.* Et quia fides in Christum non poterat dari sine diuina reuelatione eiusdem Christi, ideo Deus post peccatum reuelauit Adamo se missurum mediatorem, hoc est Christum, & simul promissit se per merita, & gratiam mediatoris venturi, tum Adamo, tum posteris, qui in mediatorem venturum credentes, & sperantes diligenter Deum perfectâ charitate, & perfecta contritione detestarentur peccata, remissionem peccata, redditurum gratiam, & dona supernaturalia, & si perseverarent in gratia, beatitudinem æternam suo tempore, hoc est post aduentum mediatoris largiturum. Credit Adami Deo, & recuperauit habitum fidei, sperauit salutem, & remissionem peccati, & recuperauit habitum spei; dilexit Deum super omnia, & per contritionem perfectam detestatus est peccata, & recuperauit gratiam, & habitum charitatis, ac iustificatus est à peccato. Hæc reuelatio ab Adamo annunciata est filiis, & nepotibus, & perpetua traditione ad posterius transmissa, & à Deo sæpius confirmata, ac proindè homines ab initio mundi potuerunt iustificari, & saluari.

7. Quæritur quarto, quo tempore natura humana per peccatum Adami lapsa fuerit primum reparata per reuelationem, promissionem, & gratiam mediatoris venturi?

Respondeo, quod statim, vel penè statim post peccatum Adami. Deus enim, vt habetur Genes. 2. conuersus ad serpentem, in eoque alloquens diabolum, qui in ipso erat, dixit:

vit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, inter semen tuum, & semen illius, ipsa* (vel vt legitur in textu hebræo: *ipsum conteret caput tuum*; ergo promissit primis parentibus semen, quod contereret caput serpentis, hoc est vinceret diabolum, & humanum genus à peccato liberaret. Hinc Adam à Deo illuminatus intellexit sibi promitti mediatorem, & semen, hoc est filium, aut nepotem, per cuius merita posset homo liberari à peccato, & recuperare gratiam amissam, & in mediatorem credens, ac sperans, conuersus est ad Deum charitate perfecta, ac perfecta contritione detestatus peccatum, iustificatus est. Hinc patet religionem christianam, hoc est fundatam in fide Christi, incepisse ab initio mundi statim post peccatum Adæ, & ante omnes falsas sectas, licet habuerit diuersos status. Nam qui fuerunt ante Christum, credebant in Christum venturum: nos credimus in Christum, qui iam venit. Ideo Augustinus lib. 1. retractat. cap. 13. dicit. *Nam res ipsa, quæ nunc Christiana Religio nuncupatur, erat & apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani, quoad vsque ipse Christus ueniret in carne, unde uera religio, quæ iam erat, cepit appellari christiana.*

8. Quæritur quinto, quid sit status legis naturæ, & vtrum aliquando fuerit?

Respondeo statum legis naturæ posse dupliciter intelligi. Primo potest intelligi status, in quo homines ordinarentur ad solum finem naturalem, & obligarentur solis præceptis naturalibus, non autem supernaturalibus. In hoc sensu status legis naturæ, licet fuerit possibilis, nunquam fuit. Nam natura humana ab initio fuit eleuata ad finem super-naturalem, ac proindè homines ab initio obligati sunt, non solum præceptis naturalibus, sed etiam supernaturalibus credendi, sperandi, ac diligendi Deum super omnia dilectione supernaturali. Secundo potest intelligi status, in quo homines obligarentur solis præceptis, quæ connaturaliter conueniunt naturæ eleuata, absque additione aliorum præceptorum diuinorum. In hoc sensu omnes homines ante institutam circumcisionem fuerunt in statu legis naturæ. Deus enim postquam naturam lapsam per peccatum Adami reparauit per promissionem Christi venturi, reliquit Adamum, & posteros eius sub lege naturæ, ac nulla alia illis imposuit præcepta, quam quæ connaturaliter sequuntur ex statu eleuationis. Et quia ex statu eleuationis connaturaliter sequuntur præcepta credendi, sperandi, ac diligendi Deum super omnia, & proximum sicut nos ipsos, in quibus præceptis includuntur præcepta religionis circa Deum, temperantiæ circa nos ipsos, & iustitiæ, ac charitatis erga proximum, ideo obligabantur solum his præceptis. Porro præcepta supernaturalia fidei, spei, & charitatis sufficienter innotecebant posteris Adæ per traditionem ab Adamo deriuatam: præcepta naturalia colendi Deum, honorandi parentes &c. scripta

erant in cordibus vniuscuiusque, ac sufficienter innotecebant lumine rationis per naturalem discursum, iuxta illud Psal. 4. *Quis ostendit nobis bonam signatum est super nos lumen vultus tui.*

9. Quæritur sexto, quid sit status legis Mosaicæ?

Respondeo, quod quia post diluuium circa tempora Abrahæ omnes penè homines inciderant in idololatriam, & in alia peccata contra legem naturæ, per idololatriam obscurata, ac pene deleta fuerat in cordibus, & in obliuionem abierat lex fidei fundata in reuelatione, ac promissione mediatoris venturi: per consuetudinem autem peccandi contra legem naturæ obscurata, ac penè deleta fuerat lex naturæ, quam Deus scripserat in cordibus hominum. Ideo Deus, vt vtramque legem repararet, elegit Abraham, cui reuelatione peculiari, & clariori promissit Christum, dicens, *benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*, & per hanc promissionem, & reuelationem reparauit legem fidei, & constituit Abraham patrem omnium credentium, illicque, & posteris imposuit præceptum circumcisionis, vt in ipsa carne haberent signum sensibile fidei, qua credebant ex semine Abrahæ oriturum Christum. Mox post quadringentos circiter annos, cum iam posteri Abrahæ ex Isaac, & Iacob multiplicati essent in populum magnum, tempore Moyse in monte Sinai sensibilibus promulgauit legem naturæ, quæ continetur in præceptis decalogi, eamque scripsit in tabulis lapideis. Præceptis naturalibus addidit præceptum magnum, quod est primum, & fundamentale, hoc est præceptum charitatis, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. & proximum tuum, sicut te ipsum*, quod habetur Exodi 6. & explicatur à Christo, Matth. 22. in quo præcepto charitatis continentur etiam præcepta fidei, & spei, Quia verò lex naturæ apparuerat moraliter insufficientis ad rectè viuendum, siquidem in lege naturæ omnes penè homines inciderant in idololatriam, & in alia vitia consequentia idololatriæ, ideo Deus ex posteris Abrahæ per Isaac, & Iacob elegit sibi populum peculiarem, cui ultra legem naturæ per Moysen dedit legem scriptam, quæ præceptis fidei, & præceptis naturalibus decalogi superaddit præcepta ceremonialia, & iudicialia; ceremonialia, quidem ad determinandum modum colendi Deum, & profitendi etiam exterius, & sensibilibus fidem mediatoris venturi; iudicialia verò ad determinandam legem naturalem, & modum se habendi erga proximum, præsertim in iis, quæ spectant ad iustitiam.

10. Quæritur septimo, quinam obligarentur lege Mosaicæ?

Respondeo, quod lege fidei, & præceptis naturalibus decalogi obligabantur omnes gentes; lege autem Mosaicæ, in quantum supra legem fidei addebat præcepta ceremonialia.

nialia, & iudicialia, obligabatur tantum populus, quem vt peculiarem sibi elegerat Deus. Et quia Deus elegerat sibi vt populum peculiarem solos posteros Abraham, eosque non omnes, sed illos tantum, qui ex Abraham erant orituri per Isaac, & Iacob, ideo per se omnes, & soli posteri Iacob obligabantur lege Mosaica. Quia rursus præceptum circumcisionis, quod multo ante Moysen impositum fuit Abraham, fuit quoddam inchoamentum legis Mosaicæ, & fuit per legem mosaicam confirmatum, ideo etiam præceptum circumcisionis per se obligabat solos posteros Abraham per Isaac, & Iacob: nam per accidens obligauit etiam Ismaelem, & alios filios, quos Abraham habuit ex Cetura etiam coniuge, quandiu fuerunt in familia Abraham, & obligauit Esau, quandiu fuit in familia Isaac. At postquam Ismael eiectus fuit ex familia Abraham, præcipiente per Saram Domino Genes. 21. *Ejce ancillam, & filium eius, ac filij Ceturæ, Gen. 25. separati sunt à familia Isaac, & Esau se separauit à Iacob Gen. 36. non amplius cum suis posteris obligati sunt lege circumcisionis; ideoque Ismaelita, seu Agareni, qui descenderunt ex Ismaele, Idumei, qui descenderunt ex Esau, qui vocabatur etiam Edom, & populi multi, qui descenderunt ex Abraham per filios Ceturæ, non obligabantur lege circumcisionis, ac lege mosaica, sed sola lege naturæ, in eaque per fidem charitate formatam poterant saluari. Poterant tamen alia gentes aggregari spontè populo Dei, ac circumcidi, ac tunc obligabantur ad obseruandam totam legem mosaicam, & qui ex alijs gentibus aggregabantur populo Dei, vocabantur Profelyti, vt de Achior Duce Ammonitarum legitur Iudith. 14. Hinc patet discrimen inter circumcisionem, & baptismum, legem mosaicam, & legem Euangelicam. Nam præcepto baptismi, & lege Euangelica obligantur omnes gentes, iuxta illud Christi Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creature. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* E conuerso lege circumcisionis, & mosaicæ, obligabantur solum Israelita, hoc est soli posteri Iacob, ideoque cæteræ gentes obligabantur sola lege naturæ, & in lege naturæ per fidem Christi venturi poterant iustificari, & saluari, sicuti de facto post impositum Abraham præceptum circumcisionis Iob incircumciscus in lege naturæ per fidem Christi venturi fuit iustificatus, & saluatus.*

11. Queritur octauo, quandiu durauerit lex naturæ?

Respondeo legem naturæ pro Israelitis durasse vsque ad promulgationem legis mosaicæ in monte Sinai; pro cæteris gentibus durasse ab Adamo vsque ad Christum, & ad promulgationem legis Euangelicæ per aduentum Spiritus Sancti in monte Sion. Per aduentum igitur Spiritus Sancti abrogata est lex mosaica, in quantum superaddebat legi

naturæ, & legi fidei præcepta ceremonialia, & loco illius subrogata est lex Euangelica, quæ per legem mosaicam fuerat figurata. Superaddit autem lex Euangelica supra legem fidei, hoc est supra præcepta fidei, spei, & charitatis, & supra legem naturæ, hoc est supra præcepta decalogi, præcepta sacramentorum, atque ad legem Euangelicam suscipiendam, & obseruandam, tenetur non vna solum natio, sicut soli Israelita obligabantur lege mosaica, sed omnes nationes, ac gentes, iuxta illud Christi Marci 16. *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creature* &c.

12. Queritur nono, vtrum lex mosaica statim post passionem Christi, vel saltem post aduentum Spiritus Sancti, quoad præcepta ceremonialia non solum fuerit mortua, ita vt non haberet amplius vim obligandi, & ceremonialia non haberent amplius vim modo sanctificandi sanctitate figuratiua vere sanctitatis conferendæ per Christum, sed etiam fuerit mortifera, ita vt sine peccato mortali obseruari non posset?

Respondeo, quod circa hoc punctum magna fuit controuersia inter Hieronymum, & Augustinum. Hieronymus enim docet legem mosaicam statim post passionem Christi, vel saltem post aduentum Spiritus Sancti non solum fuisse mortuam, sed etiam mortiferam, ita vt sine peccato obseruari non posset. Quia verò ex actibus Apostolorum constat Apostolos etiam post aduentum Spiritus Sancti obseruasse ceremonias legales: nam legitur Actuum 16. Paulus circumcidit Timotheum, qui erat ex matre iudæa, & vt legitur Actuum 21. idem Paulus consilio Iacobi Apostoli fratris Domini, purificatus iuxta ritum iudæorum ascendit in templum &c. ideo Hieronymus docuit Apostolos obseruasse legalia, non secundum veritatem, sed quadam simulatione, ne iudæos scandalizarent, eorumque conuersionem impedirent. Augustinus è conuerso, quia existimauit inconueniens, vt Apostoli hac simulatione vterentur, qua darent occasionem errandi in fide, existimando: post aduentum Spiritus Sancti licitum esse obseruare ceremonias mosaicas, cum esset illicitum, distinxit tria tempora. Primum fuit ante passionem Christi, quo ceremonialia neque erant mortua, neque erant mortifera, ideoque non solum poterant obseruari sine peccato, sed etiam in Iudæis dabatur obligatio ad illa obseruanda. Tertium tempus fuit post promulgationem Euangelij apud omnes gentes, quo ceremonialia non solum sunt mortua, quia non datur obligatio ad illa obseruanda, sed etiam sunt mortifera, quia non possunt sine peccato grauius obseruari. Secundum, & medium tempus fuit post passionem Christi, & post aduentum Spiritus Sancti, ante Euangelium sufficienter promulgatum per orbem terrarum, quo ceremonialia erant mortua, quia non

non amplius obligabant, sed nondum erant mortifera, quia poterant licite à Iudæis obseruari.

13. Sed potest contra hanc doctrinam opponi pro sententia Hieronymi. Ideo post prædicatum sufficienter Euangelium ceremoniarum legis veteris non solum sunt mortuæ, sed etiam mortifera, quia cum fuerint instituta ad significandum Christum nondum venisse, & mysteria nostræ redemptionis implese, ac legem nouam promulgasse, sed venturum, ac mysteria redemptionis impleturum, & legem nouam promulgaturum, eo ipso, quod aliquis vellet obseruare ceremonias mosaicas, per illam obseruantiam significaret nondum Christum venisse, sed venturum, ac mysteria redemptionis nondum impleuisse, sed impleturum, ac legem nouam nondum promulgasse, sed promulgaturum, quod est contra fidem, & spectat ad errorem Iudæorum; sed hæc ratio probat, quod statim post passionem, vel saltem post aduentum Spiritus Sancti ceremoniæ mosaicæ fuerint mortifera, ac non potuerint obseruari sine peccato, & errore contra fidem; ergo &c.

Respondeo, distingo maiorem: hæc ratio probat, quod statim post aduentum Spiritus Sancti ceremoniæ mosaicæ non potuerint licite obseruari, vt viua, concedo; vt mortuæ, sed nondum sepultæ, & donec sepelirentur cum honore, nego; & nego consequentiam. Post aduentum Spiritus Sancti, cum impleta fuissent omnia mysteria redemptionis nostræ, ceremoniæ mosaicæ non poterant amplius obseruari vt viua, hoc est vt significantes mysteria redemptionis nondum fuisse impleta, sed adimplenda; poterant tamen obseruari, & honorifice custodiri vt mortuæ, vt synagoga mater Ecclesiæ, & lex mosaica à Deo tradita honorifice sepeliretur. At postquam promulgato Euangelio, synagoga, & lex mosaica iam est sepulta, non possunt amplius ceremoniæ veteres obseruari, neque vt viua, neque vt mortuæ. Explicatur exemplo. Cadauera mortuorum custodiuntur, & honorantur aliquo tempore, donec honorifice deferantur ad sepulturam; at postquam fuerint sepulta, impium censetur illa ex sepulchris erueri. Videri potest Augustinus epist. 19. ad Hieronymum, apud quem etiam habentur plures aliæ epistolæ Augustini ad Hieronymum, & Hieronymi ad Augustinum de hoc puncto. Videri etiam potest diuus Thomas 1. 2. quæst. 103. artic. 4. & Vasq. 1. 2. disp. 182.

14. Ad do S. Thoma 1. 2. quæst. 104. artic. 3. præcepta iudicialia veteris legis post passionem Christi fuisse mortua ita, vt in quantum fuerant à Deo lata, non amplius obligarent: siquidem lata erant ad ordinandum statum politicum populi iudaici, donec veniret Christus: vt enim docet Apostolus ad Galat. 3. lex mosaica fuit pædagogus ducens ad Christum; sed non esse mortifera, ac pro-

indè posse aliquem principem præcipere, vt obseruentur totaliter, vel ex parte in sua dictione. Ratio est, quia primo, & per se non ordinabantur ad significandum Christum venturum, sicut præcepta ceremonialia, sed ad ordinandam rempublicam ciuilem. Illicitum tamen esset illa obseruare, quasi ex vi legis veteris habeant vim obligandi; siquidem tota lex vetus abrogata est per Christum.

15. His præmissis, descendendo ad quæstionem propositam, quæritur decimo, vtrum in statu naturæ ante institutam circumcisionem fuerit à Deo institutum aliquod remedium ad iustificandos à peccato originali paruulos ante vsum rationis?

Respondeo affirmatiuè contra aliquos recentiores, quos tacito nomine refert Vasquez hic.

16. Probatur primo auctoritate Patrum. Primus ex Patribus, qui huius remedij mentionem fecerit, fuit Augustinus lib. 2. de Nuptijs, & concupiscentia, cap. 11. & lib. 1. contra Iulianum, cap. 21. Augustinum secuti sunt Gregorius Magnus lib. 4. moral. sine cap. 2. vel 3. Beda, Bernardus, & Hago de Sancto Victore locis citandis quæstione sequenti, & omnes Theologi in 4. dist. 1.

17. Probatur secundo ratione. Ex opposita enim sententia sequitur primo ante institutam circumcisionem omnes paruulos etiam filios Sanctorum sine vilo remedio periisset, quod non est consonum misericordiæ illius, qui neminem vult perire. Secundo sequitur, quod etiam post institutam circumcisionem, quæ non debebat conferri nisi octauo post ortum die, omnes paruuli Iudæorum, qui ante diem octauum moriebantur, periissent sine remedio. Tertio periissent etiam ij, qui die octaua non poterant circumcidi propter euidentis periculum, ne in ipsa circumcisione morerentur, & mox peribant incircumcisi. Quarto deum sequitur, quod post institutam circumcisionem, quæ erat pro solis masculis, nullum fuisset remedium pro paruulis foemini: quod est absurdum. Nunquid enim masculorum Deus tantum, ac non etiam foeminarum?

18. Hanc rationem à diuina misericordia desumptam affert etiam Innocentius III. cap. Maiores de Baptismo, & eius effectu, dicens. *Abst, vt vniversi paruuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quin misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procurauerit ad salutem.* Licet autem Pontifex loquatur de tempore post institutam circumcisionem, & baptismum, tamen eius ratio est generalis, & militat pro quolibet statu etiam legis naturæ.

19. Quæritur vndecimo, quodnam fuerit hoc remedium?

Respondeo omnes conuenire, quod hoc remedium fuerit fides, non habitualis tantum, sed actualis, qua parentes, vel alij applicabant paruulis merita mediatoris venturi. Existimo cum communi sententia hanc fidem debuisse esse

esse honestam, & supernaturalem. Ratio est, quia sola fides honesta, & supernaturalis est utilis ad salutem. Et quia etiam fides informis, qualis datur in peccatoribus fidelibus, potest esse honesta, & supernaturalis, ideo probabile est, quod ad paruulos iustificandos sufficiebat applicatio fidei etiam informis. Aliqui existimant, quod soli parentes, vel ij, ad quos spectabat cura paruulorum, possent per applicationem fidei iustificare paruulos suos: siquidem Patres dicunt, paruulos iustificatos fuisse per fidem parentum. Alij existimant quemlibet etiam extraneum potuisse paruulos iustificare per applicationem fidei, eo pacto, quo quilibet etiam extraneus potest valide baptizare, ac proinde iustificare paruulum, etiam parentibus inuitis. Res est incerta: sed hoc secundum videtur probabilius.

20. Ad 1. nego minorem. Hoc remedium colligitur ex auctoritate Patrum, quam credendum est fundatam fuisse in antiqua traditione. Confirmatur: nam etiam gentiles solebant adhibere aliquas ceremonias, & expiationes circa infantes recenter natos, quæ consuetudo centenda est orta ex antiqua traditione, qua homines, antequam inciderent in idolatriam, solebant applicare fidem infantibus ad illos iustificandos à peccato originali.

21. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia ex ijs qui in utero animantur anima rationali, plerique nascuntur: at ex ijs, qui nascuntur, plerimi non perueniunt ad usum rationis; ergo ex eo, quod Deus prouiderit remedium pro plerisque, licet aliquos paucos iusto suo iudicio reliquerit sine remedio in massa perditionis, nihil sequitur absurdi. Confirmatur disparitas. Nam omnes per illam debemus respondere, cum quæritur, quare Deus paruulis natis prouiderit remedium baptismi, paruulos morientes, antequam nascantur, ac possint baptizari, reliquerit sine remedio.

22. Sed quæres: est ne saltem probabilis sententia Alexandri 4. part. & Caietani 3. par. quæst. 68. art. 2. & 11. qui docuerunt secundum legem communem omnes paruulos, seu sint nati, seu adhuc sint in utero matrum, quibus baptismus applicari non potest, & qui non occiduntur in odium fidei, saluari posse alio remedio, hoc est voto baptismi, & fide parentum, præsertim applicata per aliquod signum sensibile, & exterius?

23. Respondeo negatiuè cū communi sententia Theologorum. Probatur ex verbis Christi Ioan. 14. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, quæ locum de paruulis, & adultis omnes Patres, qui videri possunt apud Vasquez disp. 51. cap. 2. intellexerunt, sed ita, vt senserint, paruulos, nisi re ipsa baptizentur baptismò aquæ, vel sanguinis, saluari non posse. Confirmatur ex usu Ecclesiæ, quæ paruulos morientes sine baptismò prohibet ad ecclesiasticam sepulturam admitti, ac proinde sentit eos damnari. Propter

hæc fundamenta Sotus, Ledesma, Alphonsus de Castro, & alij relatum sententiam Caietani vocant hæreticam, Vasquez erroneam, & Beatus Pius Quintus iussit ex operibus Caietani auferri commentarium illorum articulum 2. & 11. in quibus hanc sententiam docuit.

24. Quæres rursus, vtrum saltem dici possit, quod licet non detur remedium vniuersale pro paruulis morientibus sine baptismò aquæ, vel sanguinis, tamen eorum aliquis ex speciali gratia, & priuilegio Dei saluetur, vel ex orationibus parentum, vt docuerunt Gerson de Natiuitate Beatæ Mariæ, Gabriel in 4. dist. qu. 2. art. 3. & Echius in centurijs, vel Deo plente aliquem defectum materiæ, formæ, intentionis ministri, propter quem defectum, baptismus debuit esse inualidus, vt docuit Aristodorenſis lib. 3. summæ, tract. 3. cap. 4. alij.

Respondeo Deum posse modo extraordinario iustificare, & saluare paruulos morientes sine baptismò, sicut sanctificauit in utero matrum Ieremiam, & Ioannem Baptistam, antequam illis applicaretur circumcisio, vel remedium legis naturæ. Ideo verba illa, *nisi quis renatus fuerit* &c. intelligenda sunt quæ lege ordinaria, & communi.

25. Addo, quod sine speciali reuelatione, vel impulsu Dei, temerariè assereretur aliquem in particulari sic saluari. Cum enim dicitur lex communis, nisi quis renatus fuerit &c. sine speciali reuelatione temerariè dicitur aliquis ab hac lege exemptus. Temerarium etiam esset sine speciali Dei impulsu orare Deum, vt aliquem saluet hoc modo extraordinario: quidem absque speciali impulsu temerarium est orare Deum, vt operetur contra suam legem vniuersalem in Euangelio promulgatam.

## QVÆSTIO LXII.

*Vtrum in lege naturæ ad paruulos iustificandos sufficeret sola fides, vel requireretur aliquod signum sensibile?*

1. Videtur in lege naturæ ad iustificandos paruulos ante usum rationis necessarium fuisse, vt fides illis applicaretur aliquo signo sensibili: primo quia in lege Mosaica ad iustificandos paruulos requirebatur signum sensibile circumcissionis, in lege Evangelica requirebatur signum sensibile baptismi: ergo etiam in lege naturæ requirebatur aliquod signum sensibile: alioquin paruuli in lege naturæ fuissent melioris conditionis, quam in lege Mosaica, & Evangelica: quod est absurdum.

2. Secundo fides per actum merè interiorum potest applicari paruulis, non solum natis, sed etiam nondum natis, & in utero clausis, non solum præsentibus, sed etiam absentibus, & distantibus: ergo in lege naturæ per applicationem internam fidei potuissent iustifica-

paruli, antequam nascerentur, ac absentes, & distantes, in lege Mosaica, atque Euangelica possent iustificari soli paruli nati, & presentes: ergo etiam ex hoc capite paruli melioris conditionis fuissent in lege naturæ, quam in lege mosaica, & euangelica.

3. Tertio fuit conueniens, vt paruli per aliquod signum sensibile cõsecrarentur Deo, aggregarentur Ecclesiæ visibili, sensibilibiter varentur Christo venturo, vt capiti visibili, & sensibilibiter mundarentur à peccato originali, sicut illud per generationem sensibilem contrahebant.

4. Respondeo in hac quæstione tres esse sententias. Prima Soti in 4. dist. 1. quæst. 1. Paulani dist. 1. quæst. 5. art. 5. & Marsilij quæst. 4. docet fuisse necessarium aliquod signum sensibile determinatum à Deo, licet ignoremus, quodnam fuerit.

5. Secunda Durandi in 4. dist. 1. qu. 3. quem sequuntur Suarius hic disp. 4. sect. 2. Cardinalis de Lugo disp. 3. sect. 2. & plures alij retentiones, docet necessarium fuisse aliquod signum sensibile, non determinatum à Deo, sed pro arbitrio applicantium suam fidem ad paruulos iustificandos.

6. Tertia S. Thomæ in 4. dist. 1. quæst. 2. art. 6. quæstione 2. S. Bonauenturæ in eadem distinctione, quæst. 2. Richardi ibidem, art. 5. Soti in 4. dist. 2. quæst. 1. & aliorum, quos sequitur Vasquez 3. part. disp. 165. cap. 2. docet sufficere, vt fides applicaretur sola applicatione interna, licet de facto soleret applicari aliquo signo externo, & sensibili: & hanc sententiam sequor vt probabilior, & conformior sententiis Sanctis Patribus.

7. Probat primo auctoritate. Nam ex quinque Patribus, qui de hoc remedio locuti sunt, tres, nimirum Gregorius, Beda, & Bernardus, expressè dicunt paruulos iustificatos fuisse per solam fidem, duo alij, nimirum Augustinus, & Hugo de Sancto Victore idem insinuant: ergo &c. Probat antecedens, afferendo testimonia Patrum. Gregorius Magnus lib. 4. moral. cap. 2. vel 3. & refertur de consecratione, distinct. 4. capite Hoc autem dicit. Quod autem apud nos facit aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro ijs, qui ex Abrahæ stirpe prodierant, mysterium circumcisionis.

8. Respondent Gregoriū loqui de sola fide vt applicata signo externo, & sensibili. Sed S. Thomas, & S. Bonauentura reiiciunt hanc responsionem, vt non consonam verbis. Gregorius enim dicit, pro paruulis sufficere solam fidem, eamque opponit externis, ac sensibilibus signis sacrificij, & circumcisionis: ergo docet expressè sufficere solam fidem absque signo externo, quo applicaretur.

9. Beda lib. 10. in Lucam in illa verba. Cum consummati fuissent dies octo, dicit. Nam qui vel ante tempora circumcisionis, vel etiam post datam circumcisionem ex cæteris gentibus extiterunt fideles, vt exemplar patientie Iob, & amici, liberique

Tom. III.

ipsum, sive victimis hostiarum, se suosque ab originali peccato, seu certè sola fide soluebant. Sanctus Bernardus epist. 77. ad Hugonem de Sancto Victore dicit. In nationibus verò, quosquos inuenti sunt fideles, adultos quidem fide, & sacrificijs credimus expiatis, paruulis solam fidem profuisse, imò sufficere credimus: ergo cum contraponant solam fidem eidem fidei per sacrificia, tanquam per externa signa protestata, existimarunt paruulis sufficere solam fidem illis interius applicatam etiã sine vlla externa protestatione, & applicatione.

10. Augustinus licet non loquatur ita, expressè, tamen idem insinuat lib. de nuptijs, & concupiscentia, cap. 11. Loquens enim de temporibus ante institutam circumcisionem dicit. Superioribus temporibus omninò latuit sacramentum iustificationis ex fide. Eadem tamen fides mediatoris iustos faciebat pusillos cum magnis. Si paruuli non potuissent iustificari sine aliquo sacramento, siue signo sensibili, quo applicaretur fides, proculdubio fideles non latebat hoc sacramentum iustificationis ex fide; sed Augustinus dicit omninò latuisse; ergo existimat paruulos iustificatos per fidem sine vilo sacramento, seu signo sensibili. Licet autem idem Augustinus lib. 5. contra Iulianum, cap. 25. dicat: nec ideo tamen credendum est ante datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem in eis erat mediatoris fides in carne venturi, nullo eius sacramento opitulatos fuisse paruulis suis, quamuis quod illud esset Scriptura, aliqua necessaria causa latere voluerit; tamen non contradicit superiori sententiæ, sed solum significat antiquos solitos fuisse applicare paruulis fidem mediatoris per aliquod signum sensibile, quod esset sacramentum latè dictum, hoc est non à Deo institutum, sed ab hominibus ex deuotione assumptum, vt explicabitur quæstione sequenti. Demum Hugo de Sancto Victore lib. 1. de sacramentis part. 11. cap. 3. & 5. docet hanc esse differentiam inter sacramenta legis naturæ, & sacramenta legis mosaicæ, vel euangelicæ, quod sacramenta legis naturæ fuerunt voluntatis, sacramenta legis mosaicæ, vel euangelicæ fuerunt necessitatis, illa ex voto, & ex consilio, hæc ex præcepto: ergo existimat in lege naturæ ad iustificandos paruulos non fuisse necessarium sacramentum, hoc est signum sensibile, ac proindè dum cap. 6. eiusdem partis 11. & cap. 2. partis 12. videtur docere, quod in lege naturæ ad iustificandos paruulos requirebatur fides cum aliqua oblatione, docet solum, quod oblatio externa requirebatur ex quadam conuenientia, non autem ex necessitate, cum sufficeret sola fides.

11. Antiquos Patres præter Magistrum sententiarum, qui non satis clarè loquitur, secuti sunt S. Thomas, & S. Bonauentura. Sed quia Suarius disp. 4. sect. 2. fatetur S. Thomam in 4. sententiar. docuisse nostram sententiam, sed addit illum 3. part. quæst. 60. art. 5. ad 3. & quæst. 61. art. 3. ad 2. & clarius quæst. 70. art. 4. ad 2. hanc sententiam retractasse, ac docuisse

S

se

se contrariam opinionem, placet referre verba S. Thomae hoc ultimo loco, quem Suarius putat clariorem ceteris. Sic igitur loquitur. *Dicendum, quod sicut ante institutionem circumcisionis sola fides Christi venturi iustificabat tam pueros, quam adultos, ita etiam circumcisione data; sed ante non requirebatur aliquod signum protestationum huius fidei, quia nondum homines fideles ceperant adunari ad cultum unius Dei. Probabile tamen est, quod parentes fideles pro paruulis natis, & maxime in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem adhiberent, quod esset quoddam signum fidei, sicut adulti pro se ipsi preces, & sacrificia offerebant. Dicit expressè, quod ante institutionem circumcisionem sufficiebat sola fides, & non requirebatur signum protestationum fidei: ergo dum addit adhibitas preces, vel benedictiones, putat adhibitas, non ex necessitate, sed ex deuotione, ac proinde non retractat, sed confirmat suam antiquam sententiam.*

12. Probatum secundo conclusio. Nam ex dictis iuxta communem sententiam status legis naturae supra praecepta naturalia, & supernaturalia fidei, spei, ac charitatis non addebat ullum praeceptum ceremoniale, ac proinde primum praeceptum ceremoniale fuit praeceptum circumcisionis; sed praeceptum applicandi paruulis fidei per signum, sensibile fuisse ceremoniale, non minus, quam praeceptum circumcisionis: ergo in lege naturae non dabatur hoc praeceptum.

13. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia lex mosaica, & Evangelica supra legem fidei, & legem naturae addunt praecepta ceremonialia, & sacramentorum, quae lex naturae non habebat, ac proinde in lege naturae ad paruulos iustificandos sufficiebat sola fides sine sacramento sensibili. Nec ex hoc sequitur, quod in lege naturae paruuli fuissent melioris conditionis, quam in lege Mosaica, vel Evangelica. Nam praecepta circumcisionis, & baptismi sunt onera quaedam, sed alleuiantia, & facilitantia salutem paruulorum, cum valde iuuent ad conseruandam fidem parentum.

14. Ad 2. nego antecedens, ac dico, quod ex diuina institutione fides in ordine ad effectum iustificandi non poterat validè applicari paruulis, nisi natis, & praesentibus.

15. Ad 3. Concedo in lege naturae fuisse conueniens, vt paruuli per aliquod signum sensibile aggregarentur Ecclesiae, ideoque parentes ex deuotione solitos fuisse adhibere signum sensibile: sed nego fuisse necessarium hoc signum sensibile in lege naturae, in qua Deus reliquit hominem sub solis praecipis fidei, & naturalibus sine praecipis positiuis.

## QVAESTIO LXIIII.

*Virum post peccatum ante Christum in lege natura, & mosaica debuerint esse aliqua sacramenta pro paruulis, & adultis.*

S. Th. quaest. 61. art. 3.

1. Videtur, quod non: primo, quia sacramenta sunt quaedam medicinae contra vulnera peccatorum: sed medicamenta non debent adhiberi, antequam adueniat medicus illa praescribens: ergo ante aduentum Christi, qui fuit medicus generis humani, non debuerunt dari sacramenta.

2. Secundo passio Christi comparatur ad sacramenta, sicut causa ad effectum; sed effectus non debet poni prius tempore, quam causa: ergo ante aduentum Christi, eiusque passionem non debuerunt dari sacramenta.

3. Tertio durante eodem statu generis humani, debuerunt durare eadem sacramenta, siquidem sacramenta debent esse conuenientia statui generis humani, vt docet Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 16 & 17. sed idem fuit status humani generis à peccato Adami vsque ad Christum: ergo non debuerunt dari diuersa sacramenta legis Mosaicae à sacramentis legis naturae.

4. Respondeo in hac quaestione quaedam esse certa, quaedam dubia, & ex his aliqua proponere ad quaestionem de re, alia ad quaestionem de nomine.

5. Primo igitur certum est, ac de fidei homines in lege naturae coluisse Deum cultu exteriori, & sensibili, & quibusdam leuicis ceremonijs. Vt autem aduertit Hugo de Sancto Victore lib. 1. de sacramentis cap. 10. in libro Geneseos fit mentio triplicis generis ceremoniarum, quibus homines in lege naturae colebant Deum, oblationis nimirum sacrificij, & decimationis. Nam Genes. 4. Abel Deo sacrificat animalia, & Genes. 8. Noe de cunctis pecoribus, & volucribus mundi obtulit holocausta super altare. Genes. 14. Melchisedech obtulit panem, & vinum, & eodem capite Abraham dedit decimas Melchisedech sacerdoti. Rationem affert S. Bonaventura in 4. distinct. 1. art. 2. quaest. 3. Nam homines etiam in lege naturae debuerunt sensibilibus protestari se credere in Deum, creatorem, saluatorem, & glorificatorem, sed per oblationes profitebantur Deum creatorem, & dominum omnium rerum per sacrificia, quae perficiebantur morte animalium, profitebantur Deum esse saluatorem, ac per mortem mediatoris saluatorum mundi; per decimas profitebantur Deum esse glorificatorem: nam sicut denarius est vltimus, ac perfectus numerus, siquidem sicut numeri consequentes denarium sunt ex additione numeri inferioris supra denarium, vt

ex multiplicatione denarij, sic beatitudo, qua glorificamur, est vltima perfectio naturæ rationalis: ergo &c.

6. Certum est secundo in lege naturæ homines fuisse etiam vsos aliquibus ceremonijs sensibilibus ad profitendum Deum esse auctorem gratiæ, & sanctificationis nostræ, & ad se, & alios sanctificandos, atque à peccatis emundandos. Probat. Nam in lege naturæ fuerunt sacerdotes, & sacrificia, ideoque Genes. 9. Melchisedech dicitur fuisse sacerdos Dei altissimi; sed præcipuum munus sacerdotis est populum sanctificare, offerendo pro ipso dona, & sacrificia pro peccatis: ergo in lege naturæ fuerunt ceremoniæ sensibiles ad homines sanctificandos, & à peccatis emundandos, & ad profitendum Deum esse auctorem gratiæ, & sanctificationis nostræ. Rursus Iob. 1. dicitur, quod cum transissent dies conuiuij, Iob sanctificabat filios suos, & offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: ne forte peccauerint filij mei: ergo Iob in lege naturæ utebatur aliquibus ceremonijs sensibilibus ad filios sanctificandos, & à peccatis emundandos. Rursus Gregorius lib. 4. moral. cap. 2. vel 3. supra citato dicit. Quisquis enim regenerationis vnda non soluitur, reatus primi vinculis captiuus tenetur. Quod autem apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij &c. ergo existimat in lege naturæ sacrificium fuisse loco baptismi ad emundandos adultos à peccato originali. Hinc ortum est, vt etiam Gentiles vterentur aliquibus sacrificijs, & ceremonijs ad suos Deos placandos: dæmone nimirum sub nominibus falorum deorum volente coli ritibus similibus illis, quibus Deus verus ex antiqua traditione colebatur à fidelibus. Ratio, quare homines etiam in lege naturæ vterentur his ceremonijs, ex S. Thoma hoc art. 3. est, quia credebant in Christum venturum, per cuius merita possent sanctificari, & à peccatis emundari: ergo tenebantur hanc fidem per aliquas sensibiles ceremonias profiteri. Addo rationes, quas quæst. 14. ex S. Thoma art. 1. huius quæst. 61. attulimus ad probandum homini sacramenta esse necessaria necessitate conuenientiæ, ostendere etiam in lege naturæ, & mosaica debuisse dari aliqua sacramenta, saltem latè sumpta.

7. His suppositis, quæ certa sunt, supersunt quatuor dubia. Primum est, an ceremoniæ ad homines sanctificandos, & emundandos à peccatis in lege naturæ essent necessariae necessitate præcepti, an solum essent sub consilio? Secundum est, an essent necessariae ex institutione, & præcepto diuino? Tertium est, an essent præceptæ sub determinata materia, an solum in vniuersali, ita vt quisque pro libito posset vti hac, vel illa ceremonia. Quartum spectans ad quæstionem de nomine, an essent sacramenta propriè?

8. Prima sententia Scoti in 4. distinct. 1.

Tom. III.

quæst. 3. quem sequuntur Richardus quæst. 1. art. 1. & Maior quæst. 4. eiusdem distinctionis, ad omnia quatuor proposita dubia respondet affirmatiuè, ac docet in lege naturæ fuisse vera, & propria sacramenta à Deo instituta, & præcepta sub determinatis materijs, proportionaliter, ac in lege mosaica, & euangelica.

9. Secunda sententia Alexandri 4. parte quæst. 1. memb. 3. art. 1. & 2. S. Bonaventuræ in 4. distinct. 1. quæst. 3. art. 2. & aliorum docet in lege naturæ fuisse sacramenta à Deo speciali instinctu instituta solum in generali, non autem in materia determinata, sed non fuisse sub præcepto, sed sub consilio, ita vt homines non obligarentur ad illa sacramenta suscipienda.

10. Tertia sententia Paludani in 4. dist. 1. quæst. 3. conclus. 4. & Durandi distinct. 1. quæstione 2. Soti in eadem distinct. quæst. 2. art. 3. & Cui prædicatione de sacramentis, parte 3. docet, in lege naturæ fuisse sacramenta ex diuina institutione præcepta, non in particulari, sed in vniuersali, ita vt homines obligarentur illa suscipere, sed pro suo libito possent determinare materiam, & ceremonias. Addit Durandus illa non fuisse sacramenta propria, sed in latiori significatione, eumque quoad hoc sequuntur Suarius disp. 4. sect. 4. & Vasquez hic quæst. 61. art. 3.

11. Dicendum primo: ceremoniæ, quæ in lege naturæ adhibebantur ad homines sanctificandos, & à peccatis emundandos, non fuerunt à Deo stabili lege positua institutæ, ac præceptæ sub determinata materia, sed ab hominibus ex deuotione adhibebantur.

12. Probat. Nam ex dictis quæst. 62. in resp. ad 5. quæsitum, status legis naturæ fuit, in quo Deus reliquit homines sub lege naturæ, & sub lege fidei, quæ connaturaliter sequitur statum eleuationis, non addendo alia præcepta positua; sed si instituisset, & præcepisset ceremonias ad homines sanctificandos, eo ipso legi naturæ, & legi fidei addidisset præcepta ceremonialia: ergo &c. Confirmatur auctoritate Hugonis de Sancto Victore, & S. Thomæ. Nam Hugo lib. 1. de sacramentis, parte 11. cap. 6. & parte 12. cap. 6. docet sacramenta legis naturæ fuisse voluntatis, sacramenta legis mosaicæ, & euangelicæ fuisse necessitatis, & quod illa celebrabantur ex voto, & consilio, hæc ex præcepto: & S. Thomas hoc artic. 3. huius quæst. 61. ad 2. dicit, quod sacramenta ante legem mosaicam fuerunt indeterminata, quia non determinatè præfixum homini fuerat, quibus sacramentis vteretur: & in 4. distinct. 1. quæst. 2. art. 6. quæstione 3. dicit, quod illa sacramenta legis naturæ non erant ex præcepto diuino obligantia, sed ex voto celebrabantur.

13. Potest quæri, vtrum saltem homines in lege naturæ obligarentur indeterminatè ad se, & ad alios sanctificandos aliquibus ceremonijs sensibilibus ab ipsis hominibus pro libito determinandis.

S 2

Re-

Respondeo probabilem mihi esse sententiam affirmatiuam. Ratio est, quia ex dictis homines obligabantur praeceptis legis naturalis, & praeceptis connaturaliter sequentibus ex lege fidei, siue ex statu eleuationis; sed ex lege naturali, & ex lege fidei connaturaliter sequebatur praeceptum colendi Deum cultu etiam sensibili, profitendo Deum esse creatorem, saluatorem, sanctificatorem, & auctorem gratiae, & remissionis peccatorum; ergo sicut homines obligabantur ad Deum colendum aliquibus, sacrificijs, oblationibus &c. sic obligabantur ad colendum Deum aliquibus ceremonijs sensibilibus, quibus profiterentur Deum esse auctorem gratiae, & sanctificationis. Videtur enim esse eadem ratio.

14. Dicendum secundo: ceremoniae, quibus homines in lege naturae se, & alios sanctificabant, non fuerunt sacramenta proprie, sed solum in aliqua latiori significatione.

Probat. Nam vt dictum est quaest. 48. in definitione sacramenti, ad sacramenta proprie requiritur, vt sint signa sensibilia stabili lege instituta ad homines sanctificandos; sed ceremoniae legis naturae, licet adhiberentur ex diuino instinctu, tamen non erant stabili lege institutae ad homines sanctificandos; ergo &c.

15. Dicendum tertio: in lege mosaica fuerunt propria sacramenta.

Probat. Nam fuerunt ceremoniae stabili lege institutae a Deo ad homines sanctificandos sanctitate figuratiua propria illius status, in quo vt dicitur 1. ad Corint. 10. *omnia in figura contingebant illis*: ergo erant proprie sacramenta, cum conueniret illis definitio sacramenti. Quo pacto sacramenta mosaica differrent ab Euangelicis quoad effectum causandi gratiam, explicabitur inferius cum S. Thoma qu. 62. dum qu. 70. agemus de gratia, quae est principalis effectus sacramenti.

16. Addo sacramenta legis mosaicae reduci ad quatuor figurantia, & proportionaliter correspondentia quatuor ex nostris sacramentis. Primum fuit circumcisio, quae fuit figura baptismi. Secundum fuit agnus paschalis, qui fuit figura Eucharistiae. Tertium fuit ordinatio sacerdotum, leuitarum, & aliorum sacrorum ministrorum, quae fuit figura nostri ordinis. Quartum continebat varias lustrationes, & expiationes a peccatis, quae fuerunt figurae sacramenti poenitentiae. Nullum in lege mosaica fuit sacramentum correspondens confirmationi, & extremae vnctioni, vt docet S. Thomas 1. 2. quaestione 102. artic. 5. Rationem affert, quia confirmatio confert perfectionem gratiae, extrema vnctio est vltima preparatio ad introitum in regnum caelorum; sed in lege mosaica, quae ex sua ratione erat imperfecta, non dabatur perfectio gratiae, nec dabatur vltima preparatio ad regnum caelorum, quod erat clausum, & ape-

riendum solum post passionem Christi: ergo &c. Matrimonium in lege mosaica non erat sacramentum, quia nondum facta fuerat coniunctio Verbi cum humanitate, quam coniunctionem vt factam, sacramentum matrimonij significat.

17. Ad 1. distinguo minorem: medicamenta non debent adhiberi, antequam medicus adueniat realiter, vel intentionaliter, si medicus sit tantae virtutis, vt etiam per suam praesentiam intentionalem possit sanare aegrotos, concedo; antequam adueniat solum realiter, nego minorem, & consequentiam. Christus propter infinitatem suorum meritorum est medicus tantae virtutis, vt non solum per suam praesentiam realem, sed etiam per intentionalem, qua erat praesens per fidem, qua credebatur venturus, posset sanare homines a peccatis, ideoque fuit conueniens vt etiam ante aduentum Christi praescriberentur medicamenta sacramentorum, quibus homines profiterentur fidem Christi venturi & sanarentur a peccatis virtute fidei, seu virtute Christi, vt praesentis intentionaliter per fidem.

18. Ad 2. distinguo maiorem: passio Christi comparatur ad sacramenta, tamquam causa causans illa solum per suam praesentiam realem, nego; per realem, vel intentionalem, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Christus fuit causa omnium sacramentorum, tum veterum, tum nouorum, sed noua causauit, non solum meritorie, & finaliter, sed etiam efficienter per suam existentiam realem: vetera causauit meritorie, & finaliter per suam existentiam intentionalem, qua existerat in fide, per quam credebatur venturus, vt explicatum est in responsione ad 1.

19. Ad 3. concedo maiorem, & distinguo minorem: idem fuit status humani generis ab Adamo vsque ad Christum quoad fidem Christi venturi, concedo; quoad maiorem, vel minorem corruptionem peccati, maiorem, vel minorem claritatem fidei, nego minorem; & consequentiam. Quia post peccatum Adami propensio ad peccatum creuerat consuetudine peccandi, conueniens fuit, vt adderentur alia remedia, & alia sacramenta magis determinata, qualia fuerunt sacramenta mosaica. Rursus appropinquante Christo, cognitio, & fides Christi venturi debuit esse clarior, & magis expressa, ideoque sacramenta protestatiua fidei debuerunt esse clariora, & magis determinata. Videtur potest S. Thomas hoc articulo tertio ad 2.

#### QVAESTIO LXIV.

*Vtrum post Christum debuerint esse aliqua sacramenta?*

*Sanctus Thomas quaest. 61. art. 4.*

1. **V**identur non debuisse esse. Praesentem enim veritate, debent auferri signa, & si-

& figuræ; sed sacramenta sunt figuræ, & signa Christi, & passionis eius: ergo Christo præfente, non debuerunt esse sacramenta.

2. Respondeo cum S. Thoma, quod sicut homines ante Christum iustificabantur per fidem Christi venturi, sic postquam Christus venit, iustificantur per fidem Christi iam nati, & passi, & in cælo regnantis: ergo sicut ante Christum debuerunt dari sacramenta, quibus homines protestarentur fidem Christi venturi, sic post Christum debent dari sacramenta, quibus protestentur fidem Christi iam nati, & passi, atque in cælo regnantis, & per ipsius merita iam posita iustificentur, & saluentur. iam sicut, ut docet Augustinus lib. 19. contra Faustum, cap. 16. alijs verbis significatur res ut futura, alijs ut præterita, vel præsens: ex. gr. conceptio Christi ex Virgine ut futura significata fuit per illa verba Isaïæ, *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium*, ut præterita, & iam facta significatur à nobis per illa verba symboli, *Qui conceptus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine*, sic per alia sacramenta, & per alia signa sensibilia debuit significari Christus, eiusque passio ut futura, per alia, postquam venit, & iam passus est, ideoque sacramenta noua, & euangelica debuerunt esse diuersa ab antiquis.

3. Ad argumentum in contrarium distingo maiorem: præfente veritate, & totalitèr manifestata, debent auferri signa, & figuræ, concedo; præfente veritate, & nondum totalitèr manifestata, debent auferri signa, & figuræ, nego; concedo minorem; & nego consequentiam. Licet post aduentum Christi veritas sit præfens, tamen non est totalitèr manifestata: siquidem adhuc *ambulamus per fidem, & non per speciem*, adhuc videmus per speculum, & in ænigmate, non autem facie ad faciem: ideo adhuc debent dari sacramenta, quæ sint signa, & figuræ Christi ut præfentis, sed nondum totalitèr reuelati. In statu beatitudinis veritas, quæ est ipse Christus, non solum erit præfens, sed etiam totalitèr manifestabitur: siquidem videbimus eum, etiam quoad diuinitatem facie ad faciem, ideoque sicut non remanebit fides, quæ ut dicit Apostolus 1. ad Corinth. 12. *enacuabitur*, sic non erunt sacramenta.

## TRACTATUS VIII.

De causalitate, & effectibus Sacramentorum.

### QUÆSTIO LXV.

*Virum sacramenta noua sint causa principales, vel instrumentales gratiæ, eamque causans ex opere operato?*

S. Th. qu. 62. art. 1.

1. Videntur sacramenta non causare gratiam, nec iustificare immediatè per se

ipsa, sed solum excitare fidem, quæ causet gratiam, & iustificet, ut docent Lutherani, Calvinistæ, & alij recentiores hæretici. Primò enim, ut arguit Lutherus lib. de Captiuitate Babylonica, cap. de baptismo, & alibi, Scriptura sepe dicit hominem iustificari per fidem, ut cum ad Rom. 1. dicit *Iustus ex fide uiuit*: ad Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, ad Rom. 10. *corde creditur ad iustitiam*: ergo homo non iustificatur immediatè per sacramenta, sed solum mediatè, in quantum excitant fidem.

2. Secundò ut ibidem arguit Lutherus, Marci ultimo dicitur, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui uero non crediderit, condemnabitur*; ergo qui non credit, damnatur, etiam si baptizetur, ac proinde non baptismus, sed fides causat salutem, & gratiam.

3. Tertio ut arguit Melanthon in apologia art. 13. Confessionis Augustinæ, Apollolus ad Rom. 13. docet Abrahamum iustificatum fuisse, non circumcisione, sed fide: ergo fides sola iustificat, & causat gratiam, non autem baptismus, & alia sacramenta.

4. Quarto ut arguit Zuinglius lib. de uera, & falsa religione, cap. de sacramentis, Luca 5. Pharisei dixerunt, *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* ergo Pharisei intellexerunt solum Deum posse remittere peccata, ac proinde sacramenta non posse remittere peccata, nec posse causare gratiam, & remissionem peccatorum, iuxta illud Isaïæ 43. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.*

5. Quintò ut ait Chemnitius, ad Ephes. 5. dicitur de Ecclesia, *mundans eam hoc est Ecclesiam lauacro aque, in uerbo uitæ*: ergo baptismus eatenus causat gratiam, & emundat à peccatis, quatenus per uerbum uitæ excitat fidem. Rursus Petri 3. dicitur, *uos saluus fecit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientia bone interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi*: ergo baptismus causat salutem per fidem resurrectionis, quam fidem excitat, non autem in quantum abluit carnem à sordibus.

6. Sextò ut arguit idem Chemnitius in examine Concilij Tridentini, p. 2. cap. de efficacia sacramenti, ad Rom. 1. Euangelium dicitur *uirtus ad salutem omni credentis*; sed Euangelium licet dicatur uirtus ad salutem, non causat salutem immediatè, sed solum mediatè, in quantum excitat fidem: ergo etiam sacramenta, licet dicantur causa salutis, & gratiæ, non causant salutem, & gratiam immediatè, sed solum mediatè, in quantum excitant fidem.

7. Septimò Augustinus tract. 10. in Ioannem loquens de baptismo dicit: *faciente uerbo, non quia dicitur, sed quia creditur*; ergo existimat sacramentum baptismi causare gratiam ratione fidei. Idem Augustinus lib. quæstionum ueteris, & noui Testamenti dicit: *nec donum cæleste poterit consequi, qui se per aquam, non per fidem commutari credit*: ergo existimat uiam san-

sanctificandi conuenire non aqua, sed fidei. Lib. 13. de Trinit. cap. 26. dicit, solum Deum posse dare Spiritum Sanctum; & in eandem sententiam Hieronymus in caput 4. Isaia dicit: *homo aquam praebet, Deus autem Spiritum Sanctum*; sed dum datur gratia, datur Spiritus Sanctus: ergo sacramenta non conferunt gratiam. Bernardus serm. de Coena Domini dicit: *Sicut inuestitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, sic diuisiones gratiarum diuersis sunt credite sacramentis*; sed liber, baculus, annulus sunt mera signa, ac nullam exercent causalitatem in ea, quae significant: ergo etiam sacramenta sunt mera signa, ac nullam exercent causalitatem in gratiam. Idem Bernardus epist. 77. dicit paruulos baptizatos per fidem aliorum saluari: ergo existimat, non sacramentum baptismi, sed fidem causare gratiam in paruulis.

8. Octauo vt objicit Caluinus lib. 4. institut. cap. 14. parag. 14. qui dicunt sacramenta iustificare, abstrahunt homines a Deo, & faciunt, vt in spectaculo rei corporeae acquiescant, non in Deo.

9. Nono vt opponit Zuinglius sacramenta sunt res crassae, & materiales: ergo non possunt ad animam spiritualem ita penetrare, vt eam sanctificent, & abluant sordes peccatorum.

10. Decimo iustificatio est opus nobilius creatione, vt docet Augustinus Tract. 72. in Ioannem; sed nulla creatura potest esse instrumentum creationis, vt docet S. Thomas 1. p. quaest. 45. ergo neque iustificationis.

11. Vndecimo demum non potest explicari, quo pacto sacramenta causent gratiam, in instanti, vel in tempore; per virtutem supernaturalem superadditam, vel sine illa; per virtutem materialem, vel spiritualem &c. ergo dicendum sacramenta non causare gratiam, sed illam solum significare.

12. Respondeo catholicos, & haereticos conuenire in hoc, quod solus Deus potest esse causa principalis gratiae sanctificantis, & remissionis peccatorum, causans nimirum gratiam, & remissionem peccatorum propria auctoritate, & virtute: ideoque Isaia 43. dicitur in persona Dei: *ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*, & ad Rom. 3. *vnus est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & preputium per fidem*.

13. Probatur primo ratione, quam affert S. Thomas hoc art. 1. quaest. 62. Causa enim principalis est, quae operatur virtute suae formae, ad assimilandum effectum sibi; sed gratia sanctificans nihil aliud est, quam quaedam participata similitudo diuinae naturae iuxta illud 2. Petri 1. *magna nobis, & pretiosa promissa donauit, vt diuinae simus consortes naturae*; ergo solus Deus potest esse causa principalis gratiae, per quam homo assimilatur Deo.

14. Probatur secundo. Nam per gratiam remittuntur peccata, quae sunt offensa Dei, & adoptamur in filios Dei; sed nullus Deo

inferior potest propria virtute, & auctoritate remittere peccata, & offensas Dei, & adoptare in filium Dei, eo pacto, quo nullus inferior rege potest propria auctoritate remittere offensas factas regi, & adoptare in filium regis: ergo &c.

15. Hoc posito, duplex est controuersia. Prima inter catholicos, & haereticos, quam examinare debemus hac quaestione, est, *utrum sacramenta sint causae gratiae, non quidem principales, sed instrumentales*? Secunda inter catholicos, quo pacto sint causae gratiae, physice, an moraliter: & hanc examinabimus quaestionibus sequentibus.

16. Quoad primam quaestionem, haeretici Melalliani ante annos 1200. teste Damasceno lib. de haeresibus, docuerunt homines non iustificari sacramentis, sed solis precibus. Lutherus, Caluinus, & alij haeretici saeculi superioris docuerunt sacramenta immediate non causare gratiam, sed illam solum significare, mediate vero causare gratiam, excitando fidem: siquidem per ipsos fides sola iustificat, ac ipsam fidem dixerunt non excitari a sacramentis, nisi representando mysteria credenda. Afferunt igitur eodem pacto ad gratiam concurrere sacramenta, quo ad gratiam eorum praedicatio verbi, ac differre solum per hoc, quod praedicatio adhibetur auribus, ac proinde excitat fidem per auditum, sacramenta adhibentur oculis, & excitant fidem per visum. Licet autem Lutherus, Caluinus, alijque sectarij, quoad modum loquendi videantur sibi contradicere, cum aliquando negent, aliquando affirmant sacramenta causare gratiam, tamen vt notat Bellarminus to. 3. lib. 2. de sacram. cap. 2. quo ad rem ipsam semper docuerunt eundem errorem, quod nimirum sacramenta, non aliter causent gratiam, quam excitando fidem. Peccata igitur iuxta ipsos remittuntur per fidem, qua credimus peccata nobis remitti ex promissione Christi sacramenta vero sunt mera signa talis promissionis, ac remissionis acceptae ex fide, eo pacto, quo sigilla plumbea certa faciunt beneficia principum.

17. Ex hoc errore intulerunt primo formulas sacramentorum esse proferendas sermone vulgari, quia vt possint excitare fidem, debent posse intelligi a suscipientibus sacramenta. Secundo intulerunt sacramenta conferri posse a quolibet: siquidem a quocumque conferantur, excitant fidem. Tertio intulerunt, quod vt conferant gratiam, non requiritur in ministro intentio interna facienda, quod facit Ecclesia, quia etiam si conferantur sine tali intentione, immo animo iocandi, eodem pacto excitant fidem. Quarto Antiqui baptistae intulerunt paruulos ante usum rationis inualide, ac sine effectu baptizari, ac proinde rebaptizandos esse, postquam fuerint adulti, quia cum in paruulis fides non excitatur, non possunt recipere effectum sacramenti, hoc est iustificationem a peccato originali. Lu-

Lutherus autem, & Calvinus cum non sint auli negare paruulos validè baptizari, in eas angustias redacti sunt, vt dixerint etiam in paruulis per baptismum excitari actum fidei, quo credant, & iustificentur.

18. Contra hunc errorem, dicendum primo cum omnibus catholicis: sacramenta nouæ legis causant immediatè gratiam, licet in adultis requiratur actus fidei, tanquam dispositio suscipientis. Explicatur. Ex eo, quod causa non possit producere suum effectum in passo, nisi passum sit dispositum, non sequitur, quod non producat immediatè talem effectum: ex gr. licet ignis non possit comburere lignum non dispositum, tamèn immediatè ignis comburit lignum dispositum. Proportionalitèr dicimus sacramentum non posse producere suum effectum in adulto, nisi sit dispositus per fidem, per actus pœnitentiæ & c. & tamen asserimus sacramentum immediatè in adulto producere suum effectum gratiæ; Mentitur ergo Melanthon, dum Catholicis imponit, quod dicant sacramenta conferre gratiam adultis absque vllò motu cordis, quo suscipientes disponant se ad gratiam. Nam non dicimus hoc, sed asserimus sacramenta non solum excitare fidem, vt dicunt heretici, sed per se ipsa immediatè in adultis per fidem, aliosque actus pios dispositis, causare gratiam.

19. Conclusio sic explicata probatur primo ex Scriptura, in qua actus fidei, & pœnitentiæ prærequiruntur, vt dispositio in adultis, gratia, & remissio peccatorum tribuitur sacramento, & præsertim baptismo. Marci 16. dicitur, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; ergo fides requiritur vt dispositio præcedens, salus autem, & gratia tribuitur baptismo. Actorum 6. cum Eunuchus dixisset, ecce aqua; quid prohibet me baptizari? Philippus respondit, si credis ex toto corde, licet: ergo fidem præquisiuit vt dispositionem ad suscipiendum baptismum. Ioann. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei: ergo effectus renascendi per gratiam tribuitur aquæ. Actorum 20. Petrus dixit, pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum: ergo fides, & pœnitentia prærequiruntur, & sequitur baptismus in remissionem peccatorum, qui proindè causat iustificationem. Actorum 22. Ananias Saulo, qui iam crediderat, & pœnitentiam egerat, ieiunando tribus diebus, quibus non manducauit, neque bibit, dicit: exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine Iesu: ergo supposita fide, & pœnitentia, effectus abluendi peccata tribuitur baptismo. Ad Ephes. 5. mundans eam lauacro aquæ, in verbo vite: ad Titum 3. saluos nos fecit per lauacrum regenerationis: ergo regeneratio, & mundatio à peccatis, & salus tribuuntur baptismo. Marci 1. Ioannes dicit, ego baptizani vos aqua, illè vero baptizabit vos Spiritu Sancto; sed si baptismus Christi solum excitaret fidem, non differ-

ret à baptismo Ioannis, qui paritèr excitabat fidem, & qui crediderant, & baptizati fuerant baptismo Ioannis, non debuissent iterum à Paulo baptizari baptismo Christi, vt habetur act. 19. ergo & c. Alijs etià sacramentis Scriptura tribuit causalitatem gratiæ. Nam de sacramento confirmationis act. 8. habetur: cum vidisset Simon, quia per impositionem manuum Apostolorum daretur Spiritus Sanctus: ergo Apostoli, dum iam credentes, & baptizatos confirmabant per impositionem manuum, dabant illis Spiritum Sanctum, & gratiam. De sacramento Eucharistiæ Io. 6. dicitur, qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo; sed hæc mansio habetur per gratiam: ergo & c. De sacramento pœnitentiæ Io. 20. Quorum remissionis peccata, remittuntur eis: ergo sacerdos ministrans sacramentum pœnitentiæ confert gratiam remissionem peccatorum. De sacramento ordinis 2. ad Timoth. 2. Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ est in te, per impositionem manuum mearum: ergo Paulus ordinans Timotheum per impositionem manuum, dedit illi gratiam.

20. Probatur secundò ex Concilijs. Nam Concilium Constantinopolitanum primum, in symbolo fidei, quod canitur in missa dicit: confiteor vnum baptismum in remissionem peccatorum. Concilium Mileuitanum contra Pelagianos celebratum, cap. 2. dicit: paruuli ideò in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Concilium Florentinum in instructione Armenorum docet sacramenta nouæ legis gratiam continere, & causare; idemque docet Tridentinum sect. 5. & 7. can. 6. 7. & 8.

21. Probatur tertio auctoritate Patrum Græcorum, & Latinorum. Ambrosius lib. 2. de pœnitentia, cap. 2. dicit. Impossibile videbatur, vt peccatum ablueret aqua. Et Naaman Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credidit. Sed quod impossibile erat, Deus fecit possibile esse. Basilius lib. de Spiritu Sancto, cap. 15. Si quæ est in aqua gratia, non ex aquæ natura est, sed ex præsentia Spiritus. Chrysostomus hom. 35. de Probatica Piscina: Quomodo huius aquæ natura per se non sanabat, sed cum ab Angelo mouebatur, ita in nobis non simplex aqua operatur in baptismo, sed cum Spiritus gratiam accipit. Augustinus tract. 80. in Ioannem: Quenam est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat? Idem docet pluribus alijs locis, quorum aliqua afferentur in resp. ad 3. Plures salij Patres videri possunt apud Bellarminum lib. 2. de sacramentis, cap. 6. & 7. quorum testimonia sunt adeò clara, vt Lutherus contra Cochleum non potuerit aliud respondere, quam Patres in hoc errasse; Calvinus autem lib. 4. Institutionum, cap. 14. parag. vltimo dixerit, illos fuisse locutos hyperbolicè. Sed si loquebantur hyperbolicè, quid opus erat recurrere ad diuinam omnipotentiam, vt persuaderent sacramenta materialia causare gratiam spiritualem, sicut recurrunt in allatis testimonijs,

nij, & in pluribus alijs. Præterea quis dicat non vnum, aut alterum, sed omnes Patres conuenisse in hac locutione hyperbolica?

22. Probatum quarto: nam si virtus baptismi consisteret in eo, vt excitaret fidem, baptismus nõ prodesset paruulis, in quibus fidem non excitat; sed prodest paruulis, eisque remittit peccatum originale: ideoque Ecclesia vsque à temporibus Apostolorum consuevit paruulos baptizare: ergo baptismus immediate causat gratiam remissionem peccatorum, etiam cum non potest excitare fidem.

23. Dicendum secundo: sacramenta causant, & conferunt gratiam ex opere operato. Vñ sunt hoc modo loquendi, non solum antiqui Scholastici, sed etiam Tridentinum, sect. 7. cap. 8. dicens. *Si quis dixerit per ipsa nomina legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum fidem diuine promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.* Displicuit hic modus loquendi hæreticis, ideoque Calvinus in antidoto Tridentini, sect. 5. can. 8. vocat monstra verborum causare gratiam ex opere operato. Verum non apparet, quid in hoc modo loquendi potuerit displicere, nisi quod operatum sumitur passiuè, cum iuxta leges grammaticæ sumi deberet actiuè. At sæpè scriptores sacri, & etiam Scriptura non curant has leges Grammaticorum. Nam ad hebraeos 13. dicitur: *Talibus enim hostijs promeretur Deus, vbi ly promeretur sumitur passiuè, cum sumi deberet actiuè: & Augustinus in psal. 38. maluit dicere ossum ossi, quam os ossis, vt melius intelligeretur, addens: melius est, vt nos reprehendant grammatici, quam vt non intelligant populi.* Idem hæretici, vt reprehendant rem ipsam, malè ea verba interpretantur, & afferunt duas explicationes sibi mutuo repugnantes, & vtramque falsam, & à sensu catholicorum alienam. Primo Lutherus lib. de captiuitate babilonica, cap. de baptismo, Calvinus lib. 4. institut. cap. 14. parag. 26. & in antidoto Tridentini, sect. 7. can. 8. & Chemnitius 2. p. examinis Concilij Tridentini, dicunt Catholicos, cum afferunt sacramenta causare gratiam ex opere operato, significare, quod causant gratiam ex dignitate, & merito operis, quod exercet is, qui sacramentum confert, vel is, qui suscipit. Falsum est, quod Catholici hoc dicamus, imò asserimus, quod sacramentum baptismi, dum confertur paruulis, potest causare gratiam sine vilo merito, tum dantis, tum suscipientis sacramentum. Secundo idem Lutherus loco citato, Calvinus in Antidoto, sect. 7. can. 5. & Chemnitius 2. p. examinis dicunt nos per illum modum loquendi asserere sacramenta causare gratiam in peccatore absque fide, & absque actu bono peccatoris recipientis sacramentum. Hoc etiam falsum est: siquidem asserimus sacramentum non posse causare gratiam in adultis, absque actu fidei, & poenitentiae peccatorum suscipientium sacramentum.

24. Sacramentum igitur, puta Baptis-

mum causare gratiam ex opere operato, est causare gratiam per illam actionem extrenam, puta per abluionem, & prolotionem, verborum, quæ actio dicitur opus operatum, & habet vim causandi gratiam, in quantum à Deo est instituta, & eleuata ad causandam gratiam per se ipsam, independentèr à merito ministri, & supra meritum suscipientis.

25. Quod sacramenta in hoc sensu causent gratiam ex opere operato, probatur. Nam causant independentèr à merito ministri, & vltra eam, quæ correspondet merito suscipientis; sed hoc est causare gratiam ex opere operato: ergo &c. Probatum prima pars maioris. Nam sacramenta causant gratiam, etiam si minister conferens sacramentum, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, nullum exerceat actum meritorium, sed peccet, vt infra explicabitur: ergo causant gratiam independentèr à merito ministri. Probatum secunda pars. Nam baptismus confert gratiam paruulis absque vilo actu meritorio paruuli recipientis sacramentum. Adultis licet sacramentum non conferat gratiam absque actu meritorio suscipientis, tamen confert vltra illam, quæ correspondet merito suscipientis, ac proinde ex opere operato, vt magis explicabitur infra.

26. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Scriptura locis allegatis dicit quidem hominem iustificari per fidem, quæ per charitatem operatur, sed non negat iustificari etiam per sacramenta, immò hoc alius locis asserit: ergo ex eo, quod homo iustificatur per fidem, non sequitur, quod non iustificetur per sacramenta; sicut non sequitur, quod non iustificetur per passionem, & merita Christi. Iustificamur ergo per fidem, per sacramenta, & per passionem, & merita Christi, sed diuerso modo. Nam per passionem, & merita Christi iustificamur, tamquam per causam meritoriam nostræ iustificationis de condigno; per fidem, tamquam per dispositionem, vel meritum de congruo; per sacramenta, tamquam per instrumenta nostræ iustificationis.

27. Ad 2. concedo antecedens, & primam partem consequentiæ, & nego secundam partem. Sicuti si adultus baptizetur, & non credat, condemnabitur, sic si credat, & non baptizetur, condemnabitur: ergo ad salutem adulti requiritur fides vt dispositio, & sacramentum vt causa iustificationis, vt explicatum est.

28. Ad 3. concedo antecedens, & nego consequentiam. Non valet paritas à circumcissione, & alijs sacramentis veteribus ad baptismum, & alia sacramenta noua. Vt enim Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 13. dicit, comparans sacramenta noua cum antiquis; *nostra sunt virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora; & vt dicit in psal. 73. Sacramenta noua dant salutem, sacramenta vetera promittebant saluatorem, & Concilium Florenti-*

rentiam in instructione Armenorum, agens de differentia sacramentorum veterum à novis dicit: *illa enim non causabant gratiam, sed tantum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc verò nostra, & causant gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Ideo inter alios errores damnatos recentiorum hereticorum est, quod dicunt sacramenta Mosaica esse æqualis virtutis, ac Evangelica, qui error rejicitur inferius.

29. Ad 4. Solus Deus potest remittere peccata propria auctoritate, & vt causa principalis, ideoque Isaia 43. dicit: *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* At etiam homines ministerialiter, & instrumentaliter per sacramenta, possunt remittere peccata, cum Christus lo. 10. hominibus dixerit, *quorum remisistis peccata, remittuntur eis.*

30. Ad 5. concedo antecedens, & nego consequentiam. Verbum vitæ, in quo mundat animas laucrum aquæ, non est concio excitans fidem, vt dicunt hæretici, sed est forma baptismi continens inuocationem Trinitatis, vt explicat Chrysostomus, Theodoretus, Anselmus, & alij interpretes in eum locum, ac proinde dum dicitur Deus mundare Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ, significatur, Deus mundare Ecclesiam baptismo constante ex ablutione per aquam, tanquam ex materia, & ex verbo vitæ, hoc est inuocatione Trinitatis, tanquam ex forma. Sensus illorum verborum *vos saluos fecit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientie bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Iesu Christi &c.* est. Sicut olim aquæ diluuij eleuantis arcem, & cum ea Noe cum suis, eos saluarunt à morte corporali: sic baptisma vos saluos fecit à morte spirituali, non quatenus est ablutio carnis, vt ex ea sordes eluat, & deponat, sed quatenus virtutis mortis, & resurrectionis Iesu Christi est ablutio conscientie, reddens conscientiam bonam, mundam, & sanctam coram Deo, illam interrogante, & explorante. Videri potest Cornelius in eum locum.

31. Ad 6. concedo minorem, & nego consequentiam. Licet Euangelium, & sacramenta eueniant in hoc, quod sint virtus causatiua salutis, tamen differunt, quod Euangelium causat salutem solum, in quantum cum prædicatur, intelligitur, & creditur, ideoque frustra prædicaretur non intelligenti, at sacramentum causat salutem, & gratiam immediate, ideoque non frustra paruuli baptizantur, non intelligentes significationem sacramenti.

32. Ad 7. ex Patribus, & præsertim ex Augustino, respondetur primo Patres, & præsertim Augustinum clarè docuisse sententiam catholicam, vt dictum est in tertia probatione conclusionis, & in resp. ad 3.

Respondet secundo directe, explicando testimonia Patrum, & ostendendo, quod non docent sententiam hereticorum, sed nostram. In primo testimonio Augustinus supponit

Tom. III.

aquam baptismi habere virtutem mundandi animam à peccato, & quærit, vnde habeat hanc virtutem, dicens: *vnde tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Respondet, quod habet à verbo, hoc est à forma verborum. Et quia poterat quæri, vtrum habeat hanc virtutem à verbo, in quantum dicitur, hoc est in quantum est res quædam naturalis, an potius in quantum creditur esse diuinitus institutum ad baptismum sanctificandum: respondet, quod habet in quantum creditur, dicens: *nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur;* ac proinde docet aquam habere vim sanctificandi à verbo, in quantum est diuinitus institutum ad hunc effectum. Secundus locus non est Augustini, siquidem auctor libri quæstionum veteris, & noui Testamenti, non est Augustinus, sed aliquis hæreticus, vt docet, & probat Bellarminus lib. de Scripturis Ecclesiasticis, cum in eo libro contineantur aliquæ hæreses. Verba tamen allata non fauent hæreticis recentioribus. Nam solum, asserunt, quod adultus, qui reciperet baptismum sine fide, putans sufficere baptismum sine fide ad hominem mundandum, non mundaretur, nec consequeretur gratiam, quod à nobis non negatur. Ad 3. & 4. in quibus Augustinus, & Hieronymus dicunt solum Deum dare Spiritum Sanctum, & hominem præbere aquam, dicimus significari, quod Deus solum dat Spiritum Sanctum, & gratiam, vt causa principalis, at non negatur, quod illum det per ministrum, & per sacramentum, tanquam per causas instrumentales. Ad 5. Bernardus dicit quidem, quod sicut Canonicus inuestitur per librum, Abbas per baculum, Episcopus per anulum, sic diuisiones gratiarum diuersæ sunt ex diuersis sacramentis; at non dicit, quod sicut liber, baculus, & anulus sunt mera signa, non autem causæ dignitatum collatarum, sic sacramenta sint mera signa, non autem causæ gratiæ, ac proinde non fauent aduersarijs. Addo, quod eo sermone de cœna Domini Bernardus expressè docet sacramentum Eucharistiæ, de quo loquebatur, causare gratiam, eum dicat: *Si quis vestrum non tam sæpè modo, non tam acerbè sentit iracundiæ motus, inuidia, luxuria, & caterorum huiusmodi, gratias agat corpori, & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operata est in eo.* Idem Bernardus dum epist. 77. dicit paruulos baptizatos per fidem aliorum saluari, non negat illos saluari per baptismum, sed solum asserit, quod sicut baptizantur, non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ, sic saluantur, non per fidem propriam, sed per fidem Ecclesiæ.

33. Ad 8. Nos catholici dicimus homines iustificari per sacramenta, tanquam per instrumenta Dei; ergo non abstrahimus homines à Deo, nec facimus, vt quiescant in spectaculo rei corporeæ, vt opponit Caluinus, sed facimus, vt quiescant in solo Deo, tanquam in causa principali nostræ iustificationis.

T

Ad

34. Ad 9. 10. & 11. cum proponant difficultates circa modum, quo sacramenta materialia penetrant ad animam spirituales, causando in illa gratiam, respondendum est questionibus sequentibus, in quibus agemus de modo, quo sacramenta causant gratiam.

## QVAESTIO LXVI.

*Verum sacramenta causent gratiam physicè, vel solum moralitè?*

S. Th. quest. 62. art. 2. & 4.

1. **EX** vna parte videtur repugnare, ut sacramenta causent gratiam physicè: primo quia gratia creatur; sed implicat, ut vlla creatura concurrat etiam instrumentalitè ad creandum, ut S. Thomas alijque satis communitè docent; ergo.

2. Secundò iustificatio est opus nobilius creatione, ut docet Augustinus tract. 72. in Ioannem: ergo si sacramentum non potest esse instrumentum physicum ad creandum, neque ad iustificandum.

3. Tertio nullum ens potest eleuari ad producendum id, quod non continetur in adæquato specificatiuo illius: sed virtus actiua causarum corporum specificatur adæquate ab aliqua ratione corporea, in qua proinde non continetur gratia spiritualis, & incorporea: ergo nulla causa corporea potest eleuari ad producendam physicè gratiam, ac proinde cum sacramenta sint corporea, & sensibilia, non possunt eleuari ad producendam physicè gratiam.

4. Quarto si dicatur sacramenta producere gratiam per virtutem supernaturalem illis superadditam, quæ virtus sit tota ratio agendi, contra est, quia si talis virtus est materialis, non potest producere gratiam spirituales; si est spiritualis, non potest recipi in sacramentis materialibus. Confirmatur: nam nõ potest explicari, quid sit talis virtus? vtrum sacramenta per talem virtutem producant gratiam in tempore, vel in instanti, & in quo instanti producant? quando nam talis virtus adueniat, vel desinat? vtrum omnes, vel aliquæ solum partes sacramenti recipiant hanc virtutem, & per eam producant gratiam? ergo &c.

5. Ex alia parte videtur non sufficere, ut sacramenta causent gratiam solum moralitè, Primo quia hæ causalitas moralis consisteret in hoc, quod ex pacto, & promissione diuina sacramenta haberent vim mouendi Deum ad producendam gratiam, cum ponitur sacramentum; sed hoc modo etiam circumcisio causabat gratiam: ergo baptisimus, & alia sacramenta nouæ legis non aliter causarent gratiam, quam circumcisio, quod est absurdum.

6. Secundo non aliter sacramenta virtute Dei causarent gratiam, quam signa magica virtute dæmonis causent mirabiles effe-

ctus; sicut enim dæmon à positione signorum magicorum ex pacto inito mouetur ad efficiendos illos mirabiles effectus, sic Deus ex positione signorum sacramentalium moueretur ad causandam gratiam; consequens est absurdum; ergo. Confirmatur: nam Sancti Patres mirantur diuinam omnipotentiam, quod possit causare gratiam per res vilissimas; sed si sacramenta causarent solum moralitè, hoc non esset mirabile: nam etiam dæmon potest efficere aliquid simile, & proportionale: ergo &c.

Respondeo Theologos circa hanc questionem diuidi in duas classes. In prima classe sunt, qui dicunt sacramenta physicè causare gratiam, vel aliquam dispositionem spirituales ad gratiam. In secunda sunt, qui dicunt causare solum moralitè. Plures sunt modi explicandi quo pacto sacramenta physicè causent gratiam. Prima ergo sententia Suarez, p. de sacramentis, disput. 9. sect. 4. & aliorum, docet res materiales, & corporeas, ex quibus constituuntur sacramenta, eleuari extrinsecè à Deo ad physicè producendam gratiam per potentiam obediencialem: ex. gr. in baptisimo aqua eleuatur extrinsecè à Deo ad physicè producendam gratiam in anima baptizati.

7. Reijcitur hæc sententia. Ex dictis enim tom. 1. quest. 117. conclus. 4. creaturæ habent potentiam obediencialem actiuam, per quam possunt eleuari solum ad ea producenda, quæ continentur in earum adæquatis specificatiuis; sed potentia actiua causarum corporum sensibilibus specificatur adæquate solum ab aliqua ratione corporea, & sensibilibus, ergo res corporeæ, & sensibiles non possunt diuinitus eleuari ad producendam gratiam, nec vllam qualitatem spirituales dispositionem ad gratiam, puta characterem, vel ornatum animæ, ut docuerunt aliqui antiqui, qui cum existimarent gratiam creari, creaturam autem non posse eleuari ad creandum, dixerunt sacramenta non eleuari ad producendam gratiam, sed solum ad producendam aliquam dispositionem spirituales ad gratiam, quæ dispositio sit character respectu trium sacramentorum imprimentium characterem, respectu aliorum sit aliquis ornatu animæ. Ex eodem fundamento Scotus in 4. quest. 3. art. 1. docuit sacramenta non producere gratiam, quæ creatur, sed vnionem animæ cum gratia eo pacto, quo generans hominem non producit animam rationalem, quæ creatur, sed vnionem animæ cum corpore.

8. Secunda sententia Alexandri 4. p. quest. memb. 6. artic. 5. S. Thomæ in 4. distinct. 1. art. 4. quest. 1. & de veritate quest. 27. art. 4. ad 3. quam tamen reuocauit in summa, Capreoli in 4. distinct. 1. quest. 1. Paludani eadem distinctione, quest. 1. docet, sacramenta eleuari, non merè extrinsecè, sed intrinsecè per virtutem supernaturalem permanentem, vel transuentem illis à Deo impressam ad producendam physicè, non quidem gratiam, quam

quem putant creari, sed dispositionem spiritualem ad gratiam, puta characterem, vel ordinatum animæ, quam qualitatem productiuam gratiæ Alexander putat spiritualem, Paludanus corpoream. Explicatur. Aqua, ex natura sua non potest calefacere, sed solum frigidificare; si tamen contra suam naturam calefiat, per calorem aquæ impressum potest calefacere. Proportionaliter aqua baptismi ex natura sua non potest producere dispositionem spiritualem ad gratiam: si tamen Deus imprimat aquæ virtutem supernaturalem, peralem virtutem, tanquam per totalem rationem agendi, aqua potest producere dispositionem spiritualem ad gratiam.

9. Tertia sententia S. Thom. hac quæst. 62. art. 1. & 4. docet sacramenta eleuari intrinsicè per virtutem supernaturalem, spiritualem, & transeuntem ad producendam physicè instrumentaliter ipsam gratiam, ac non solum dispositionem ad gratiam, vt docet secunda sententia. Quod hæc sit sententia S. Thomæ, patet. Nam cum art. 1. retulisset sententiam illorum, qui dicunt sacramenta non esse causam gratiæ, aliquid operando, sed quia Deus, sacramentis adhibitis, in anima gratiam operatur, hanc sententiam impugnat, ac dicit, quod sicut securis adhibetur ab artifice ad efficiendum opus artificiale, puta lectum, sic sacramenta adhibentur à Deo ad causandam gratiam, ac proinde causant instrumentaliter gratiam, sicut securis causat opus artificiale; & artic. 4. quærit, vtrum in sacramentis sit aliqua virtus gratiæ causatiua? Respondet, quod ponendo, quod sacramentum est instrumentaliter causa gratiæ, necesse est ponere, quod in sacramentis quædam virtus instrumentalis sit ad producendum sacramentalem effectum; & addit, quod talis virtus habet esse transiens ex vno in aliud, & incompletum, sicut motus, quo securis eleuatur ad producendos effectus artificiales, habet esse transiens, & incompletum: & in respons. ad 1. docet hanc virtutem reduci ad genus virtutis perfectæ, eo pacto, quo motus alteratiuus, puta calefactio, quæ est transiens, reducitur ad genus caloris, qui est qualitas permanens.

10. Quarta sententia est Caietani, qui in commentario horum articulorum primi, & quarti docet sacramenta eleuari ad producendam gratiam per motum virtuosum à Deo sacramentis impressum, proportionaliter, ac penicillos eleuatus est à pictore ad producendam picturam per motum artificiosum penicillo impressum. Si nomine motus virtuosus Caietanus intelligit virtutem spiritualem transeuntem, dicit, obscure illud idem, quod S. Thomas dixit clarè. Sed Caietanus videtur negare aliquid reale spirituale, vel corporeum deriuari à Deo in sacramenta, ac nomine motus virtuosus nihil aliud intelligere, quàm vsum, quo Deus vititur sacramento ad efficiendam gratiam: puta motus virtuosus, aquæ baptismalis, est vsum, quo Deus vititur lotionem per

aquam ad gratiam producendam, qui vsum est ipsa actio, qua Deus per aquam producit gratiam in anima, ac proinde sententia Caietani est contraria, & diuersa à sententia S. Thomæ, & potius coincidit cum sententia Suatii iam impugnaata. Motum illum virtuosum Caietanus vocat intentionalem, quia est iuxta intentionem Dei, qui est agens, principale; vocat etiam spiritualem, quia ordinatur ad effectum spiritualem gratiæ, ac de illo egit etiam supra quæst. 13. art. 2. Scotus in 4. distinct. 1. quæst. 3. art. 1. conuenit cum Caietano quoad hoc, quod sacramenta eleuantur à Deo per motum virtuosum, absque eo, quod aliqua virtus in sacramento producat, licet differat. Nam Caietanus putat sacramentum eleuari ad producendam ipsam gratiam: Scotus cum existimet gratiam creari, putat sacramenta eleuari ad producendam solam vniouem gratiæ cum anima.

11. Contra omnes istas sententias est difficultas. Nam res materiales, in quibus consistunt sacramenta, vel eleuantur ad producendum effectum spiritualem per virtutem illis superadditam, vel sine tali virtute: si secundum eleuantur ad producendum effectum, qui non continetur in adæquato specificatiuo ipsarum, quod repugnat, vt dictum est q. 17. tom. 1. si primum, si talis virtus est spiritualis, non potest recipi in subiecto materiali, puta in aqua; si est materialis, non potest esse productiua effectus spiritualis, & supernaturalis.

12. Propter has difficultates. S. Bonauentura distinct. 1. art. 1. quæst. 4. Scotus, & Durandus eadem distinctione, quæst. 4. Gabriel quæst. 1. eiusdem distinctionis, Canus prælectione de sacramentis, p. 4. Vasquez disp. 132. cap. 5. Cardinalis de Lugo tom. de sacramentis, Pater Esparza, & alij plures dixerunt sacramenta esse causas, non physicas, sed morales gratiæ, & gratiam causare solum per hoc, quod cum sint applicationes passionis, & meritorum Christi ex pacto, & promissione diuina, mouent Deum ad gratiam producendam in ijs, qui recipiunt sacramenta. Confirmant hoc. Nam sacramenta causant gratiam, applicando passionem, & merita Christi, quæ cum sint præterita, non causant gratiam physicè, sed solum moraliter, ac Deum mouendo: ergo etiam sacramenta. Varij modi explicandi hanc causalitatem moralem cum eorum auctoribus videri possunt apud Suarezium, & Vasquez locis citatis.

Existimo inter omnes sententias, Scripturis, ac Patribus conformiorem, ac proinde probabiliorem esse sententiam S. Thomæ, ideoque vt eam per varias conclusiones explicem.

13. Dicendum primo: sacramenta causant gratiam, non purè moralitèr, sed physicè instrumentalitèr.

Probaturs primo ex Patribus, qui explicantes illud Ioann. 20. nisi quis venatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto: dicunt, quod aquæ baptismi virtute Spiritus Sancti fecundantur

ita, vt sicut uterus concurret ad generationem, sic aqua concurrant ad regenerationem per gratiam: sicut Spiritus Sanctus, qui ab initio mundi ferebatur super aquas, fecit, vt aqua producerent reptile animæ viuentis, sic descendens supra aquas baptismi facit, vt aqua baptismi regenerent animas spiritualiter per gratiam: sicut idem Spiritus Sanctus superueniens Beatæ Virgini fecit, vt generaret Christum filium Dei naturalem, sic superueniens aquis baptismi facit, vt regenerent filios Dei adoptiuos: sicut semen est causa generationis naturalis, sic aqua sunt causæ regenerationis spiritualis: sicut aqua calefacta calefacit, sic aqua sanctificata virtute Spiritus Sancti sanctificat: cum verò quæritur, quo pacto sit possibile, vt aqua sanctificent, recurrunt ad diuinam omnipotentiam, quæ potest facere hæc, & alia miracula; hæc autem omnia significant aquas causare physice, neque dicendum est Patres loqui improprie, vel hyperbolicè, vt dicit Calvinus: ergo &c. Probatur maior, afferendo testimonia Patrum. Primo aquas baptismi comparat vtero, seu matrici Chrysostomus Homil. 25. in Genes. dicens. *Quod est matrix embryoni, hoc est fidei aqua: siquidem in aqua fingitur, & formatur. Nam primum dictum est: producant aqua reptile animæ viuentis: ex quo autem Iordanis alueum ingressus est Christus, non amplius reptilia animalium viuentium, sed animas rationales, & spirituales aqua producit.* Secundo eandem aquas comparat vtero Virginis Leo magnus in serm. 4. de Natali Domini, dicens. *Omni homini renascenti aqua baptismalis instar est vteri virginalis, eodem spiritu replente fontem, qui replent & Virginem, vt peccatum, quod ibi vacauit sacra conceptio, hic mystica tollat ablutio: & serm. 5. Originem, quam sumpsit in vtero Virginis, posuit in fonte baptismatis, Dedit aqua, quod dedit matri. Virtus enim altissimi, & obumbratio Spiritus Sancti, quæ fecit, vt Maria pareret Saluatorem, eadem fecit, vt regeneraret vnda credentem.* Tertio aquas baptismi comparat aquis, quæ ab initio mundi produxerunt reptile animæ viuentis, Chrysostomus, loco citato, & Tertullianus libro de Baptismo, dicens. *Primarius liquor, quo viueret, dedit, idest aqua produxit animantia, vt in baptismo mirum non sit, si aqua animare nouerunt.* Quarto aquas baptismi comparat semini Gregorius Nyssenus lib. de Baptismo dicens. *Quod si quis mihi rursus dubitando, & ambigendo, negotium exhibeat, interrogans, qua ratione aqua regenerent? dicam optimo iure ad eum, ostende mihi modum natiuitatis, que fit secundum carnem. Dicet fortasse: semen causa hominis effectrix est. Audi igitur contra à nobis, quod aqua, que benedicitur, purgat, & illuminat hominem.* Quinto aquas baptismi comparat aqua, quæ calefacta calefacit, Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioann. cap. 42. dicens. *Quemadmodum viribus ignis intensius aqua calefacta non aliter vrit, quam ipse ignis, sic Spiritus Sancti operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem, & potentiam.*

14. Sexto cum opponitur, quo pacto aqua possint causare hunc effectum spirituale, recurrit ad diuinam omnipotentiam Ambrosius lib. 2. de poenit. cap. 2. dicens: *Impossibile vi debatur, vt peccatum ablueret aqua. Et Nazarianus Syrus lepram suam mundari per aquam posse non credit. Sed quod impossibile erat, Deus fecit esse possibile, qui tantam nobis donauit gratiam.*

15. Probatur secundo. Nam Patres non solum comparant sacramenta causis physice, sed etiam proposita quæstione, quo pacto fieri possit, vt aqua baptismi sanctificent, concurrunt ad diuinam omnipotentiam, & dicunt, quod sicut Deus alijs causis dedit virtutem producendi mirabiles effectus, sic aqua dat virtutem sanctificandi, & quod hoc esse credendum, licet non satis possit intelligi: sed nulla est difficultas intelligendi, quo pacto aqua sanctificent tanquam causæ morales, ita vt Deus ex sua promissione, & pacto, cuius quis baptizatur, ipsum sanctificet; ergo Patres tribuunt aquis vim sanctificandi, non solum moraliter, sed physice. Probatur minor, afferendo testimonia Patrum. Chrysostomus homil. 24. in Ioann. dicit. *Quod si quis interroget, quomodo ex aqua? rursus ego illum modo ex terra: & propositis multis mirabilibus, & humanum captum excedentibus circumdum, quo homo, & multa alia generantur ex terra, concludit. Quod si qua videmus, & tangimus, fide indigent, quanto magis arcana illa, & spiritualia? Nam quemadmodum terra inanimata, & immobilis, diuina virtute, ad tanta miracula producit vires accepit, ita spiritu, & sensibili aqua omnia hæc admirabilia, & humanam exceedentia cogitationem facile exoriuntur. Noli igitur, quoniam hæc non vides, diffidere.* Gregorius Nyssenus lib. de Baptismo supra citato ad explicandum, quo pacto fieri possit, vt homo renascatur ex aqua, respondet, quod sicut diuina virtus facit, vt homo nascatur ex semine, sic facit, vt renascatur ex aqua. Eodem pacto soluit quæstionem Ambrosius supra citatus.

16. Probatur tertio. Nam si sacramenta causarent gratiam solum moraliter, non aliter Deus eleuaret sacramenta ad nos sanctificandos, quam dæmon eleuet signa magica ad causandos mirabiles effectus, quos per talia signa producit; nam sicut dæmon ex pacto inito cum Magis, positus signis magicis, ponit illos mirabiles effectus, sic Deus, positus signis sacramentalibus, nos sanctificaret; consequens est absurdum, & contra sensum fidelium; ergo &c.

17. Dices: sacramenta causant gratiam, applicando passionem, & merita Christi; sed passio, & merita Christi, cum sint præterita, causant gratiam, non physice, sed solum moraliter, mouendo Deum; ergo etiam sacramenta.

Respondeo primo, negando minorem. Passio, & merita Christi causant gratiam, non solum moraliter, sed physice, vt cum Sancto Thoma dicitur quæst. 68. Respondeo

secundo, transmittendo minorem, & negando consequentiam, Passio enim, & merita Christi causant gratiam meritorie; causa autem meritoria est causa moralis. At sacramenta sunt causæ instrumentales, per quas Christus nos iustificat, & sanctificat; causæ autem instrumentales sunt in genere causæ physicae.

18. Dicendum secundo; sacramenta non purè extrinsecè, sed intrinsecè eleuantur ad physice producendam gratiam, vel qualitatem productiuam gratiæ rebus materialibus subordinatam, & in ipsis receptam.

Probatum primo. Nam ex dictis tomo 1. quæst. 117. nulla res potest extrinsecè eleuari ad producendum aliquid, quod non contineatur in eius adæquato specificatiuo; sed causæ efficientes materiales habent pro adæquato specificatiuo suæ virtutis actiue aliquid materiale, in quo proindè non contineatur gratia, quæ est spiritalis; ergo nulla res materialis potest extrinsecè eleuari ad producendam gratiam, ac proindè res materiales, vt illam physice producant, debent eleuari intrinsecè per aliquam qualitatem superadditam, & in illis receptam. Sicut igitur aqua, quæ ex se est frigida, non potest ab igne extrinsecè eleuari ad calefaciendum, potest eleuari intrinsecè, & de facto cum ab igne calefit, eleuatur ad hoc, vt per calorem in se receptum calefaciat: sic aqua non potest extrinsecè eleuari ad producendam gratiam, potest eleuari intrinsecè, hoc est potest à Deo recipere aliquam qualitatem, qua producat gratiam, ac de facto per talem qualitatem eleuatur.

19. Probatum secundo, Nam Sancti Patres satis clarè insinuant sacramenta per talem qualitatem eleuari ad nos sanctificandos; ergo &c. Probatum antecedens, afferendo testimonia Patrum. Basiliius lib. de Spiritu Sancto cap. 15. dicit. *Si quæ est in aqua gratia, non ex aquæ natura est, sed ex presentia spiritus.* Quæ est gratia, quam aqua habet ex presentia spiritus, nisi virtus sanctificandi, quam habet à Spiritu Sancto Ambrosius lib. 1. de sacramentis, cap. 2. dicit. *Non sanat aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit in aquam, & illam consecrauerit: sed Spiritus Sanctus descendit per aliquem suum effectum, hoc est per virtutem sanctificatiuam, qua consecrat, & sanctificat aquam; ergo &c.* Chrysostomus Hom. 35. in Ioan. comparans aquam baptismi cum aqua probatiæ Piscinæ, dicit. *Quemadmodum huius aquæ natura per se non sanabat, siquidem semper sanasset, sed dumtaxat cum ab Angelo mouebatur, ita & in nobis, non simplex aqua operatur, sed cum spiritus gratiam accipit, omnia abluit peccata.* Quid est aquam accipere gratiam Spiritus Sancti, nisi accipere virtutem sanctificandi. Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Ioan. cap. 42. dicit. *Quemadmodum viribus ignis intensus aqua calefacta non aliter vrit, quam ipse ignis, sic Spiritus Sancti operatione aqua, qua baptismi corpus aspergitur, reformatur ad diuinam vir-*

tutem, & potentiam. Nicephorus lib. 7. historiarum, cap. 33. refert Sanctum Syluestrum, dum Constantinum baptizaret, dixisse hæc verba. *Hæc aqua diuina virtute per inuocationem Trinitatis concepta, sicut extra corpus hominis abluit, ita animum intra à sorde, & iniquitate emundans, splendidiorem radijs solaribus efficit.* Quid est concipere diuinam virtutem, nisi accipere vim sanctificandi? Hoc idem significauit Augustinus tract. 80. in Ioan. dicens. *Quenam tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo &c.* quia nimirum aqua per verbum, quo inuocatur Trinitas, accipit virtutem sanctificandi.

Sed vt magis explicetur hæc doctrina, proponenda sunt aliqua dubia, & aliqua difficultates soluendæ.

20. Quæritur ergo primo, vtum hæc qualitas productiuæ gratiæ sit materialis, vel spiritalis?

Respondeo, quod proculdubio est spiritalis. Ratio est, quia nullum materiale potest ex se esse productiuum gratiæ spiritalis; sed hæc qualitas est ipsa virtus productiuæ gratiæ; ergo non potest esse materialis. Confirmatur: nam quia aqua est materialis, debet eleuari ad producendam gratiam per qualitatem superadditam; ergo si hæc qualitas esset materialis, deberet eleuari per aliam qualitatem, & sic in infinitum. Videretur verò indubitatum, quod sicut Deus in thesauris suæ omnipotentia continet gratiam, sic contineat aliquas qualitates instrumentaliter productiuas gratiæ.

21. Sed oppones: nullum spirituale potest recipi in subiecto materiali; ergo hæc qualitas, si esset spiritalis, non posset recipi in aqua, quæ est materialis. Respondeo, distinguo antecedens: nullum spirituale potest recipi in subiecto materiali, ita vt ab illo educatur, & pendeat, concedo antecedens; ita vt non educatur, neque pendeat, nego antecedens; & nego consequentiam. Anima rationalis, licet sit spiritalis, tamen potest etiam naturaliter recipi in materia, & in corpore, sed ita, vt non educatur ex potentia materiæ, nec pendeat à corpore; ergo non est mirum, quod aliqua qualitas spiritalis possit supernaturaliter recipi in corpore, ita tamen, vt non educatur, neque pendeat ex corpore. Sicut verò anima rationalis vnitur corpori per vnionem materialem, & quæ educitur ex potentia corporis, vt docet sententia valde communis, sic ista qualitas spiritalis vnitur aquæ per vnionem materialem, quæ educitur ex potentia aquæ. Rursum sicut anima rationalis eo ipso, quod non educatur ex potentia subiecti, pendet à solo Deo per actionem creatiuam, sic ista qualitas, cum non educatur ex potentia subiecti, pendet à solo Deo per actionem creatiuam, quod non est absurdum, cum plurimi auctores supra citati dicant gratiam sanctificantem non educi ex subiecto, sed pendere à solo Deo per actionem creatiuam.

Di-

22. Dices primo. Ex dictis tom. I. q. 117. nullum subiectum potest diuinitus eleuari ad recipiendas formas, quæ non contineantur in eius adæquato specificatiuo; sed adæquatum specificatiuum subiecti materialis, & corporei est forma materialis, & corporea: ergo nullum subiectum materiale, & corporeum potest eleuari ad recipiendam qualitatem spiritua-lem.

Respondeo, distingo minorem: adæquatum specificatiuum subiecti materialis, vt receptiuum cum influxu educatiuo, est forma materialis, concedo: vt receptiuum sine influxu educatiuo, nego: & nego consequentiam. Specificatiuum materiæ, vt receptiuum cum influxu educatiuo, sunt solæ formæ materiales; at specificatiuum materiæ, vt receptiuum sine influxu educatiuo, est forma *vt sic*, comprehendens etiam animam rationalem spiritualem; ergo non est mirum, quod comprehendat etiam aliquas qualitates spirituales.

23. Dices secundo. Subiecta non possunt diuinitus eleuari ad recipiendas quaslibet formas, sed solum certas, & determinatas, & formæ non possunt diuinitus eleuari ad informandum quodlibet subiectum, sed solum certa, & determinata subiecta; ergo aqua non potest diuinitus eleuari ad recipiendam qualitatem productiuam gratiæ.

Respondeo, distingo eodem pacto antecedens: subiecta non possunt diuinitus eleuari ad recipiendam cum influxu quamlibet formam, eiusque effectum primarium, concedo: non possunt eleuari ad recipiendam quamlibet formam sine influxu, & cum effectu formali solum secundo, nego.

24. Dices tertio: nulla potentia definitur, & specificatur per rationem communem entis; ergo neque potentia receptiuam formam definitur, & specificatur per rationem communem entis: ergo nulla potentia receptiuam potest recipere quamlibet formam.

Respondeo, distingo antecedens: nulla potentia actiua, vel receptiuam cum influxu, definitur per rationem communem entis, concedo: receptiuam sine influxu, nego. Euidens est dari aliquas potentias non influentes, quæ definiuntur per rationem communem entis. Nam præterquam quod intellectus, & voluntas, in quantum sunt potentiæ intentionales, definiuntur per rationem communem entis, vel per rationem convertibilem cum ente, quodlibet ens potest temporaliter, vel localiter coexistere cuiuslibet enti, nisi sit specialis repugnantia: ergo potentia coexistendi definitur per quodlibet ens, siue per ens *vt sic*, tamquam per suum adæquatum specificatiuum: ergo ex disproportionali ratione, quodlibet subiectum poterit sine influxu vniri cuiuslibet formæ, nisi sit specialis repugnantia, ac proinde vnibilitas passiuam definitur per ens *vt sic*, tamquam per suum adæquatum specificatiuum.

25. Confirmatur primo: nam Angeli licet

sint formæ spirituales completæ, tamen possunt vniri, & alligari corporibus, ac de facto demones quadam vnione pœnali alligantur corporibus, puta igni inferni, vt docet communis sententia: rursus corpus Christi iam gloriosum in Eucharistia per quamdam vnionem accidentalem vnitur accidentibus eucharisticis; Verbum diuinum vnitur est humanitati Christi loco propriæ substantiæ, cum hoc discrimine, quod humanitas puri hominis propriam substantiam recipit cum influxu educatiuo, humanitas Christi recipit substantiam Verbi sine influxu educatiuo: ergo si in rebus creatis, & corporeis datur potentia sine influxu receptiuam Verbi diuini infinite spirituales, quid mirum, quod in aqua detur potentia sine influxu receptiuam qualitaris productiuam gratiæ? Ratio est, quia cum ad purè recipiendum sine influxu, res debeat solum præstare se ipsam, non est, cur quodlibet non possit præstare se ipsam ad recipiendum quodlibet.

26. Confirmatur secundo: nam licet quodlibet non possit cum influxu educatiuo conuerti in quodlibet, tamen quodlibet sine influxu educatiuo potest conuerti in quodlibet: de facto enim in Eucharistia panis sine influxu educatiuo conuertitur in corpus Christi: ergo ex eadem ratione panis, & quodlibet aliud corpus posset conuerti in quodlibet aliud corpus. Addo, quod panis posset etiam conuerti in Angelum Michaelem, & in quemlibet alium Angelum, si nimirum sub accidentibus panis poneretur Angelus per quamdam vnionem alligatiuam proportionalem vnioni, qua corpus Christi ponitur sub accidentibus Eucharisticis: ergo ex proportionali ratione licet subiecta non possint recipere cum influxu quamlibet formam, possunt recipere sine influxu, & sine effectu formali primario.

27. Quæritur secundo, vtrum hæc qualitas sit totalis, vel partialis ratio agendi?

Respondeo, quod est totalis ratio agendi. Ratio est, quia cum aliquid per se ipsum nullam habet virtutem ne incompletam quidem, & inchoatam influendi actiue in alium quem effectum, debet ad illum effectum producendum eleuari per virtutem, quæ sit totalis ratio agendi; sed aqua per se ipsam nullam habet virtutem, ne inchoatam quidem influendi in gratiam, quæ gratia cum sit spirituales, non continetur in adæquato specificatiuo vllius virtutis materialis; ergo aqua debet eleuari per virtutem, quæ sit totalis ratio agendi, & producendi gratiam, ita vt aqua concurrat ad gratiam solum *vt quod*. Hinc habetur disparitas, quare lumen gloriæ sit partialis ratio agendi respectu visionis beatæ, qualitas ista sit totalis ratio agendi respectu gratiæ? Intellectus enim, cum eleuetur ad visionem, quæ continetur in adæquato specificatiuo ipsius intellectus, eleuatur ad effectum, ad quem habet ex se potentiam inchoatam.

fam, & incompletam: aqua eleuatur ad producendam gratiam, ad quam utpote non contenta in adæquato specificatiuo aquæ, nullam ex se habet potentiam actiuam, ne inchoatam quidem, & incompletam.

28. Dices primo: quod non influit immediate, & ut quo saltem partialiter ad actionem productiuam, sed solum recipit ab extrinseco virtutem, quæ adæquatæ ut quo influit, verè non producit effectum: ergo aqua verè non produceret gratiam.

Respondeo, negando antecedens, quod etiam in Philosophia est falsum. Nam aqua calida verè, & propriè calefacit ut quod, & tamen calefacit per calorè ab extrinseco receptum, tamquam per totam virtutem agendi: ergo aqua verè, & propriè sanctificat, licet sanctificet per qualitatem superadditam ab extrinseco receptam, tamquam per totalem virtutem sanctificandi. Ratio est, quia potentia actiua alicuius subiecti, eo ipso, quod in tali subiecto recipitur, constituit illud potens agere: sed hæc qualitas est potentia, & virtus actiua instrumentalis subiecti, in quo ponitur: ergo eo ipso, quod ponitur in aqua, constituit aquam potentem sanctificare.

29. Confirmatur: nam Thomistæ communiter dicunt intellectum beati virtualiter producere visionem beatam, licet illam producat per lumen gloriæ ab extrinseco receptam, tamquam per totalem virtutem, & rationem agendi.

30. Dices secundo: sequeretur, quod gratia proiecta sursum, per virtutem impressam mouerent se ipsa sursum, quod est absurdum, & communiter negatur.

Respondeo, negando sequelam. Ut subiectum agat, non sufficit, ut recipiat qualitatem, quæ agit, sed requiritur, ut talis qualitas sit virtus actiua subiecti, ac non sit virtus actiua solius agentis, quod imprimatalem virtutem. Virtus impressa, & impulsus non est virtus subiecti, quod pellitur, sed est virtus solius pellentis, ideoque quod pellitur, non mouet se ipsum, sed mouetur à pellente per impulsum, seu virtutem impressam. At calor, & frigus sunt virtutes actiue corporum, in quibus recipiuntur. Confirmatur: nam quia virtutes motiue corporum, sunt grauitas, & leuitas, corpus, dum mouetur per leuitatem ab extrinseco receptam, tamquam per totalem virtutem agendi, verè dicitur mouere se ipsum; ergo &c. Probatur antecedens: nam cum aqua à Sole calefacta rarefit, rarefacta leuefit, leuefacta sursum ascendit, verè dicitur aquam per leuitatem illam sursum se mouere, quia leuitas est virtus motiua corporis, in quo est; ergo ideo proiecta non dicuntur se ipsa mouere, quia impulsus, seu virtus impressa non est virtus subiecti, sed solius pellentis.

31. Quæritur tertio, utrum hæc qualitas sit permanentis, vel transiens? Respondeo cum S. Thoma quæst. 62.

artic. 5. quod est transiens. Probatur primo: nam sicuti sacramenta consistentia in vsu sunt transeuntia, & transeunt cum vsu, sic habent virtutem transeuntem, ac proinde aqua baptismi tunc solum habet virtutem sanctificandi, dum quis baptizatur, absoluto baptismo, amittit talem virtutem. Probatur secundo: nam sacramenta eleuantur ut instrumenta; sed instrumenta eleuantur virtute transeunte, ex gr. penicillus eleuatur à pictore ad pingendum motu artificioso transeunte; ergo &c. Si Caietanus, dum dicit, sacramenta eleuari motu virtuoso, nomine motus virtuosi intelligit virtutem transeuntem, quæ se teneat ex parte actus primi, conuenimus cum illo: si intelligit actionem, quæ se teneat ex parte actus secundi, reijcimus eius sententiam. Non tamen negamus, quod Deus posset eleuare etiam qualitate permanente, imò asserimus animam Christi habere virtutem permanentem faciendi miracula, ut dicemus infra, quæst. 68. Vtrum Eucharistia, quæ est sacramentum permanentis, eleuetur per qualitatem, seu virtutem permanentem, vel per transeuntem, examinatur in tract. de Eucharistia suo loco.

32. Quæritur quarto, utrum hæc qualitas recipiatur in omnibus partibus, vel in aliqua solum parte sacramenti?

Respondeo, quod dum partes sacramenti producantur successiuè, virtus sanctificandi ponitur solum in vltima parte completina sacramenti, qua nimirum existente, produci debet gratia: ex gr. quia forma baptismi profertur successiuè, virtus sanctificandi ponitur in illa vltima syllaba, quæ dum profertur, produci debet gratia. Ratio est, quia sicut sacramentum tunc primo est sufficienter positum, sic tunc primo debet habere virtutem sanctificandi.

33. Dices primo: ergo solum vna pars sacramenti, puta vna syllaba sanctificat physice, aliæ partes non sanctificant physice.

Respondeo, nego consequentiam, ac dico, quod omnes sanctificant physice per vltimam partem, cum qua faciunt vnum sacramentum. Explicatur. Nam tota arbor, ac proinde omnes partes arboris generant aliam arborem per semen; ergo à pari. Adde, quod semper in eà parte, quæ immediatè sanctificat, remanet aliquis effectus partium, quæ transferunt, ac saltem remanet relatio: ergo dum pars illa cum relatione relicta ab alijs partibus recipit virtutem sanctificandi, omnes partes in suo effectum recipiunt virtutem sanctificandi, & sic per suum effectum physice sanctificant. Adde rursus, quod sicut cum plura instrumenta concurrunt ad eundem effectum, ex gr. plures remi concurrunt ad mouendam nauim, in singulis instrumentis recipitur partialis virtus, puta in singulis remis recipitur partialis virtus impulsiva nauis; sic in pluribus partibus sacramenti potest recipi partialis virtus sanctificandi: ex gr. in

baptismo partialis virtus est in ablutione per aquam, quæ est materia, alia partialis virtus est in verbis, quæ sunt forma. Neque in hoc est difficultas specialis, quæ non sit communis etiam rebus naturalibus.

34. Dices secundo. Verba, quæ sunt forma baptismi, & aliorum sacramentorum, non tangunt subiectum; ergo non possunt in ipso physice producere gratiam: siquidem non potest dari actio in distans.

35. Respondeo primo, quod sicut verba ita tangunt auditum, vt possint in eo physice causare auditionem, sic ita tangunt subiectum, vt possint in eo physice causare gratiam. Secundo dico, quod si in aliquo casu non tangunt subiectum, eleuantur à Deo ad causandam gratiam in distans, vt dicitur infra qu. 68. in resp. ad 1. & 2.

Hæc eleuatio sacramenti ad causandum in distans videtur præsertim necessaria, cum per procuratorem contrahitur matrimoniū inter coniuges distantes. Cum enim Titius existens Neapoli per procuratorem contrahit matrimonium cum Berta existente Romæ, sacramentum consistit in sensibili expressione, qua Titius per procuratorem exprimit Romæ suum consensum, & in sensibili expressione, qua Berta Romæ exprimit suum consensum; ergo istæ duæ expressiones sensibiles factæ Romæ causant gratiam, non solum in Berta existente Romæ, sed etiam in Titio existente Neapoli, ac proinde causant gratiam in distans; nisi forte dicamus, quod causant gratiam per relationem, quæ Neapoli resultat sine actione in distans, vt explicauit in Logica qu. 54. in resp. ad 9.

36. Queritur quinto, vtrum quando baptismus fuit validus, & informis, ac deinde cum aufertur obex, causat gratiam, vt ex Augustino lib. 1. de baptismo, cap. 12. & lib. 5. cap. 5. docent omnes Theologi, causet gratiam physice, vel solum moraliter?

Respondeo primo admitti posse, quod causet gratiam solum moraliter.

37. Dices: si sacramentum in aliquo casu causat gratiam solum moraliter, semper causat solum moraliter.

Respondeo, negando sequelam. Sacramentum enim per se debet causare gratiam, quando est, & physice, si autem inueniat obicem, tunc per accidens non causat physice, quando est, sed causat moraliter, quando non est, & aufertur obex. Sicut verò ex eo, quod sacramentum aliquando per accidens causet gratiam, quando non est, non sequitur, quod per se, & semper causet, quando non est, sic ex eo, quod aliquando causet gratiam solum moraliter, non sequitur, quod semper, & per se causet gratiam solum moraliter. Ad do simpliciter, & absolutè sacramentum causare physice, & quando est; quia illud simpliciter, & absolutè conuenit rei, quod conuenit per se, licet oppositum aliquando conueniat per accidens: ex. gr. homo sim-

pliciter, & absolutè generat hominem, non autem generat monstrum, quia per se generat hominem, monstrum autem generat solum per accidens. Secundo potest dici, vt indicat S. Thomas 3. part. qu. 69. art. 10. baptismum validum, & informem, cum aufertur obex, causare gratiam physice per suum effectum, hoc est per characterem ipse relictum: idemque dici potest de sacramentis confirmationis, & ordinis, si ablato obice, causant gratiam? Porro de solo baptismo est certum apud Theologos, quod cum est validum, & informe, ablato obice, causat gratiam, atque de solo baptismo conceditur à Vasquez tom. 2. in 3. part. disput. 121. cap. 2. Matrimonium, & extrema vntio, quæ non imprimunt characterem, cum sunt valida, & informia, si ablato obice, causant gratiam, possunt illam causare per aliquem alium suum effectum à se relictum, saltem per relationem posterioritatis, per quam verificatur, quod aliquis suscepit hæc sacramenta.

38. Ad 1. nego maiorem, ac dico gratiam non creati, sed educi ex potentia passiva subiecti, puta animæ rationalis, vt docent communiter recentiores. Gratia enim cum sit habitus, continetur in adæquato specificatione potentie passivæ, ac substantiæ animæ, vt dictum est tom. 1. quæst. 117.

39. Ad 2. distingo antecedens: iustificatio est opus nobilior creatione ex parte termini producti, concedo: ex parte modi producendi, nego; & nego consequentiam. Iustificatio, per quam datur subiecto gratia supernaturalis, & quoddam esse supernaturale, ex parte termini producti est nobilior creatione, quæ datur solum esse naturale, ac creatio ex parte modi producendi, cum sit productio ex nihilo, non concurrente subiecto, est nobilior iustificatione, quæ gratia educitur ex potentia subiecti. Creatura si non potest instrumentaliter eleuari ad creandum non potest eleuari propter modum actionis, quæ res producit ex nihilo: ergo non sequitur, quod non possint eleuari ad iustificandum, cum per actionem iustificandi gratia educatur ex potentia subiecti.

40. Dices: ex doctrina tradenda infra quæst. 68. humanitas Christi physice sanctificat sacramenta, producendo in illis qualitatem sanctificatiuam; sed illa qualitas non educitur ex potentia subiecti materialis, ac proinde creatur; ergo humanitas Christi eleuatur ad instrumentaliter creandum. Respondeo, quod si possibile est, vt creatura eleuetur intrinsicè ad instrumentaliter creandum, hæc potestas data est humanitati Christi, cui vt dicitur Matth. 28. data est omnis potestas in celo, & in terra, ac proinde humanitas Christi sanctificat physice sacramenta, quantum per qualitatem intrinsicam eleuetur ad producendam instrumentaliter in sacramentis qualitatem sanctificatiuam sine concursu subiecti materialis. Si autem

impossibile, vt creatura eleuetur instrumentali-  
ter ad creandum, humanitas Christi sanctificat  
physicè sacramenta, non per hoc, quod in ipsis producat istam qualitatem sanctificatiuam, quæ cum non educatur ex potentia subiecti, producitur à solo Deo per actionem creatiuam, sed per hoc, quod in sacramentis habentibus istam qualitatem, producat actionem, qua sanctificant subiectum, producendo gratiam, quæ actio iuxta mea principia recipitur in agente.

41. Ad 3. distinguo maiorem: nullum ens potest eleuari intrinsecè ad producendum id, quod non continetur in eius adæquato specificatio, nego: extrinsecè, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Nullum ens potest extrinsecè eleuari ad producendum id, quod non continetur in eius adæquato specificatio; alioquin eleuaretur ad producendum id, quod non potest producere: at potest eleuari intrinsecè per virtutem, quæ sit tota ratio agendi. Nam per eleuationem prius accipit virtutem agendi, ac deinde agit, ac proinde producit id, quod potest producere.

42. Ad 4. & 5. Patet ex dictis. Dictum est enim talem virtutem esse spirituales; esse qualitatem transeuntem; per illam produci gratiam in vltimo instanti, vel momento completiuo sacramenti; atque in illo instanti, vel momento primo adueare, ac post illud statim desinere.

## QVÆSTIO LXVII.

*Virum gratia sacramentalis addat aliquid supra gratiam virtutum, & donorum?*

*S. Th. quæst. 62. art. 2.*

1. Videtur non addere. Gratia enim sacramentalis ordinatur ad perficiendam animam, tum secundum essentialitatem, secundum potentias, intellectum nimirum, & voluntatem; sed anima secundum essentialitatem sufficenter perficitur per habitum gratiæ sanctificantis; secundum potentias sufficenter perficitur per habitus virtutum infusarum, & per dona Spiritus Sancti; ergo gratia sacramentalis nihil debet addere supra hæc.

2. Respondeo quodlibet sacramentum conferre, vel augere gratiam sanctificantem, quæ proinde est effectus communis omnium sacramentorum. Et quia sicut ab essentialitate anime fluunt potentie naturales, intellectus nimirum, & voluntas, sic à gratia sanctificante, quæ est quædam natura supernaturalis, fluunt habitus virtutum, & donorum, ideo effectus communis omnium sacramentorum sunt habitus virtutum, & donorum, qui habitus infunduntur cum gratia sanctificante.

Tom. III.

te, & quando augetur gratia sanctificans, proportionaliter augetur. Ultra gratiam sanctificantem, & gratiam virtutum, ac donorum, quodlibet sacramentum confert etiam aliam gratiam specialem, & propriam ipsius, quæ idcirco vocatur gratia sacramentalis, vt docent communiter Theologi in 4. distinct. 1. & S. Thomas hoc art. 2. quæst. 62. Ratio est, quia quodlibet sacramentum ordinatur ad aliquem finem specialem, & proprium ipsius: ergo debet dare aliquam gratiam specialem ad obtinendum talem finem. Queritur, quid addat hæc gratia sacramentalis? Paludanus in 4. distinct. 2. quæst. 3. docuit gratiam sacramentalem addere quemdam habitum specialem distinctum à gratia sanctificante, & ab habitibus virtutum infusarum, & donorum Spiritus Sancti.

3. Contra hanc sententiam, dicendum primo cum Sancto Thoma hic, aliisque communiter, quos refert, & sequitur Suarez disp. 7. sect. 4. per nullum sacramentum de lege ordinaria infunditur, vel augetur aliquis habitus, qui non infundatur, vel augeatur per alia sacramenta. Probatur: nam gratia sanctificans est natura quædam spiritualis, & est radix aliorum habituum supernaturalium intellectus, & voluntatis, ac proinde, infusa, vel aucta gratia sanctificante, infunduntur, & proportionaliter augetur cæteri habitus supernaturales; sed quodlibet sacramentum confert, vel auget gratiam sanctificantem: ergo quodlibet sacramentum confert, vel auget cæteros habitus, ac proinde nullus habitus confertur, vel augetur per vnum sacramentum, qui non conferatur, vel augeatur per alia sacramenta.

4. Dicendum secundo cum S. Thoma, aliisque communiter: gratia sacramentalis supra gratiam sanctificantem, & supra gratiam virtutum, & donorum addit aliqua specialia auxilia, quæ dantur pro singulis opportunitatibus ad obtinendam finem specialem sacramenti.

5. Probatur: nam omnis gratia, vel consistit in habitu permanente, vel in aliquo auxilio actuali; sed ex dictis gratia sacramentalis non addit habitum: ergo addit aliqua specialia auxilia actualia.

6. Confirmatur, & explicatur, discurrendo per singula sacramenta. Nam baptismus, quia ordinatur ad hunc finem, vt homo spiritualiter renascatur, & viuat vitam nouam, per quam sit dignus suscipere alia sacramenta, dat ius ad auxilia, per quæ viuat vitam nouam, per quam sit dignus suscipere alia sacramenta. Proportionaliter confirmatio dat ius ad auxilia, per quæ possimus fidem constanter profiteri; Eucharistia dat ius ad auxilia, per quæ nutriatur, & augeatur vita spiritualis, hoc est charitas; Pœnitentia dat ius ad auxilia, per quæ adiuuemur ad non amplius peccandum; Extrema vinctio dat ius ad auxilia.

V

lia

lia, quibus iu uemur ad vincendas tentationes in articulo mortis occurrentes: ordo dat ius ad auxilia, quibus iu uemur ad cultum Dei religiosè propagandum; matrimonium dat ius ad auxilia ad ferenda onera coniugij, & ad filios piè educandos. Hinc sequitur gratiam sacramentalem specialium auxiliorum non dari totam simul, cum sacramentum recipitur, sed dari successiuè per totam vitam pro singulis opportunitatibus.

7. Si verò quærat, vtrum sacramenta concurrant physicè, vel moraliter ad talia auxilia specialia?

Respondeo, quod possunt physicè concurrere per habitus, vel per alios effectus à sacramentis relictos. Adde non esse inconueniens, quod concurrant solum moraliter. Nam Patres dum loquuntur de causalitate physica sacramentorum, loquuntur solum de causalitate, qua causant gratiam sanctificantem, vt patet ex locis allatis quæst. 66.

8. Ad argumentum in contrarium distinguo minorem: anima per gratiam, virtutes, & dona sufficienter perficitur in genere habituum, ita vt in ordine ad quosdam speciales effectus non indigeat specialibus auxilijs, nego; ita vt indigeat specialibus auxilijs, concedo; & nego consequentiam. Anima ita perficitur per habitus gratiæ sanctificantis, virtutum, & donorum, vt in ordine ad quosdam speciales effectus indigeat specialibus auxilijs, ideoque sacramenta, cum ordinentur ad speciales effectus, conferre debent gratiam sacramentalem specialium auxiliorum.

### QVÆSTIO LXVIII.

*Virum sacramenta nouæ legis contineant gratiam?*

*S.Th. quæst. 62. art. 3.*

1. **V**identur non continere: primo, quia vel continerent gratiam formaliter, vel solum virtualiter; neutro modo continent: ergo &c.

2. Secundo ideo gratia contineri deberet in sacramentis, vt à sacramentis transfiret in animam suscipientis sacramentum; sed gratia cum sit accidens, non potest transfire de subiecto in subiectum: ergo &c.

3. Tertio spirituale non continetur in re corporea, etiam si in ea sit: ex. gr. anima rationalis, licet sit in corpore, non continetur in corpore, sed potius continet corpus; sed gratia est spiritualis: ergo &c.

4. Respondeo de fide est sacramenta nouæ legis continere gratiam. Eugenius enim 4. in concilio florentino in instructione Armenorum, de sacramentis nouis loquens dicit. *Hec verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.* Quia verò sacramenta nouæ legis non solum sunt signa,

sed etiam sunt causæ non purè morales, sed physica instrumentales gratiæ, vt dictum est quæst. 66. ideo continent gratiam, non solum per modum signi, sed etiam per modum causæ physicae instrumentalis. Causæ physicae dupliciter possunt continere effectum; primo formaliter, secundo virtualiter. Tunc continent formaliter, cum producant effectum per formam similem, & eiusdem speciei: ex. gr. ignis continet formaliter calorem, quia calefacit per calorem eiusdem speciei. Tunc continent virtualiter, cum producant effectum per formam diuersæ speciei: ex. gr. Sol continet calorem virtualiter, quia calefacit inferiora, non per calorem, quem habeat in se, sed per lucem, quæ est forma diuersæ speciei à calore. Sacramenta continent gratiam, non quidem formaliter, sed virtualiter, siquidem producant gratiam per virtutem quamdam supernaturalem, ac diuersæ rationis, ac speciei à gratia. Rursus quæ continent effectum virtualiter aliquando continent perfectè, & principaliter, cum continent per formam permanentem, & perfectiorem effectum: ex. gr. Sol continet calorem per lucem, quæ est forma permanens, & perfectior calore; aliquando continent imperfectè, & purè instrumentaliter, cum continent per formam transeuntem purè instrumentalem, & imperfectiorem effectum. Sacramenta continent gratiam continentia imperfecta, & purè instrumentaliter, cum continent per virtutem transeuntem purè instrumentalem, rebus materialibus à Deo impressam, vt dictum est quæst. 66. Ideo Hugo de Sancto Victore lib. 1. de sacramentis, parte 9. cap. 2. dicit, quod sacramenta continentia inuisibilem gratiam continent.

5. Ad 1. patet ex dictis, cum explicatum sit, qua continentia sacramenta continent gratiam.

6. Ad 2. distinguo maiorem: gratia deberet formaliter transfire à sacramento ad animam, nego; virtualiter, concedo; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Accidens non potest idem numero formaliter transfire de subiecto in subiectum, at potest transfire virtualiter per hoc, quod à virtute, quæ est in vno subiecto, producat accidens saltem numero diuersum in alio subiecto. In hoc sensu gratia virtualiter à sacramentis transit ad animam, quatenus à virtute, quæ est in sacramentis, producit gratia in anima.

7. Ad 3. distinguo maiorem: spiritualia, quæ habent esse completum, & permanentem, non continentur in subiecto corporeo, licet in illo sint, transeat: quæ habent esse incompletum, & transiens, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Virtus spiritualis productiua gratiæ, cum habeat esse quoddam transiens, & incompletum, potest ita alligari subiectis, vt illis contineatur,

## QVAESTIO LXIX.

*Vtrum sacramenta nouæ legis habeant physicè  
virtutem sanctificandi ab humanitate  
Christi, & ab eius passione,  
ac meritis?*

*S.Th. quæst. 62. art. 5.*

1. **V**identur non habere: primo quia humanitas Christi, cum sit in cælo, longissimè distat à sacramentis; sed nulla causa potest physicè agere in distans: ergo &c.

2. Secundo miracula non debent multiplicari sine necessitate; sed etiam causa possit miraculosè agere in distans, non est necessitas ponendi hoc miraculum, quod humanitas Christi physicè agat in distans: ergo &c.

3. Tertio causa, quæ non est, sed tuit, ne de potentia quidem absoluta potest physicè agere; sed passio Christi non est, sed fuit: ergo non potest physicè causare in sacramentis virtutem sanctificandi.

4. Respondeo, quod quando causa principalis agit, tum per instrumentum coniunctum, tum per instrumentum separatum, per instrumentum coniunctum transfundit virtutem agendi in instrumentum separatum: ex gr. quia pictor pingit per manum, tamquam per instrumentum coniunctum animæ, in qua est ars pingendi, & per penicillum, tamquam per instrumentum separatum, motum artificiosum prius transfundit in manum, deinde in penicillum; sed Deus, qui est causa principalis nostræ sanctificationis, sanctificat nos per humanitatem, & animam Christi, tamquam per instrumentum sibi coniunctum, & hypostaticè vnium, ideoque humanitas Christi à Sanctis Patribus vocatur organum, seu instrumentum diuinitatis; & per sacramenta, tamquam per instrumenta separata: ergo Deus prius transfundit virtutem instrumentalem sanctificandi in humanitatem, & animam Christi, deinde per humanitatem Christi eandem virtutem transfundit in sacramenta. Quia Christus dat baptismo, & cæteris sacramentis virtutem sanctificandi, ideo S. Augustinus tract. 6. in Ioan. docet, quod sanctitas baptismi non tribuitur ministro, puta Petro, vel Paulo, sed soli Christo, de quo dictum est Ioan. 1. 33. *Hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Addit Nazianzenus oratione in sancta lumina, quod Christus voluit baptizari in Iordane, *ut per hoc sanctificarentur aquæ, ut sicut erat spiritus, & caro, ita in his, qui baptizandi erant, ex spiritu, & aqua sanctificationis successio traderetur.* Sensus est, quod sicut caro Christi per hoc, quod vnita sit Verbo, quod est spiritus, acquisiuit vim sanctificandi, sic aquæ baptismi per hoc, quod vniantur virtuti cuidam spiritali à Christo deriuatæ, acquirant vim sanctificandi. Adde-  
dere possumus, quod sicut Christus, vt det

*Tom. III.*

vim sanctificandi accidentibus eucharisticis, se ipsum, qui est fons totius sanctificationis, vnit accidentibus eucharisticis, sic vt det vim sanctificandi aquis baptismi, & materijs, ac formis aliorum sacramentorum, virtutem à se deriuatam vnit aquis baptismi, & materijs, ac formis aliorum sacramentorum. Patet ex his dignitas sacramentorum, & magnitudo diuinæ potentæ, ac diuini amoris erga nos.

5. Dicendum secundo: virtus sanctificandi deriuatur physicè in sacramenta, non solum ab humanitate, sed etiam à passione, & meritis Christi.

6. Probatum ratione, quam affert S. Thomas hac 3. parte quæst. 48. art. 6. Verbum enim diuinum assumpsit humanitatem Christi, ad hoc, vt nos instrumentaliter sanctificaret per suas actiones, & passiones meritorias, & satisfactorias; sed quando causa principalis assumit instrumentum ad hoc, vt aliquem effectum producat per aliquam actionem, vel passionem instrumenti, proportionaliter eleuat etiam tales actiones, & passiones instrumenti ad producendum illum effectum: ergo Verbum Dei eleuauit etiam actiones, & passiones meritorias, & satisfactorias Christi ad causandam in sacramentis virtutem sanctificatiuam, ideoque passio Christi est causa, non solum meritoria, & satisfactoria, sed etiam physica, & efficiens nostræ sanctificationis. Ideo docet S. Thomas, quod ex latere Christi pendens in cruce fluxerunt aqua, & sanguis, ad significandum, quod ex passione Christi, aqua, quæ est materia baptismi, & sanguis Christi, qui est in Eucharistia, quæ duo sunt potissima sacramenta, acceperunt virtutem sanctificandi.

7. Ad 1. Causæ possunt eleuari diuinitus ad agendum in distans, vt docent Theologi, & Philosophi satis communiter: ergo non est mirum, quod humanitas Christi, cui data est omnis potestas faciendi miracula spectantia ad eius dignitatem, & ad nostram sanctificationem, & salutem, acceperit etiam hanc potestatem, vt manens in cælo, physicè ageret in terris, sanctificando sacramenta, & nos per sacramenta.

8. Ad 2. distinguo maiorem: miracula non debent multiplicari sine necessitate metaphysica, & sine necessitate conuenientia, & sine fundamento, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Fundamentum ponendi hoc miraculum est autoritas Patrum, qui dicunt Christum manentem in cælo baptizari, & sanctificare baptismum, & alia sacramenta. Necessitas conuenientia desumitur ex eo, quod ad dignitatem Christi spectat, vt sit causa, non solum moralis, sed etiam physica nostræ sanctificationis. Confirmatur ex Eucharistia, in qua ex simili conuenientia fiunt miracula multo plura, & maiora. Quod autem sacramenta agant etiam in distans, concedit inter alios Bellarmius lib. 2. de sacramentis, cap. 11.

V 2

9. Ad

9. Ad 3. distinguo maiorem: causa, quæ non est, sed fuit, non potest physicè agere immediatè, concedo: mediatè, & per effectum à se relictum, nego: concedo minorem; & distinguo eodem pacto consequens. Arbor, quæ non est, sed fuit, per semen à se productum, & relictum potest physicè producere aliam arborem. Proportionaliter actiones, & passionis meritoria Christi, dum erant, fuerunt à Deo eleuata ad physicè producendam, & relinquendam in anima Christi virtutem producendi gratiam, & sanctificandi sacramenta, ac proinde dum anima Christi per talem virtutem physicè agit, passio, & merita Christi physicè, & mediatè agunt. Porro in anima Christi ponenda est virtus instrumentalis permanens sanctificandi sacramenta, & producendi gratiam: siquidem iuxta doctrinam communem omnes gratia gratis data, ac præsertim virtus faciendi miracula, in Christo sunt permanentes, & per modum habitus.

### QVAESTIO LXX.

*Virum sacramenta aequaliter dispositis gratiam aequalem conferant, inaequaliter dispositis inaequalem?*

1. **V**identur sacramenta etiam aequaliter dispositis conferre gratiam inaequalem: primo quia omnes paruuli suscipiunt baptismum cum aequali, imò cum nulla dispositione; sed recipiunt gratiam inaequalem: ergo &c. Probatur minor: nam paruuli baptizati morientes ante usum rationis recipiunt gloriam inaequalem; sed gloria est æqualis gratia; ergo per baptismum receperunt gratiam inaequalem. Probatur maior: nam homines debent implere sedes Angelorum, qui peccando, non sunt consecuti beatitudinem; sed omnes Angeli, sicut fuissent inaequales in natura, sic fuissent inaequales in gratia, & gloria, vt docet S. Thomas parte 1. quæst. 62. art. 6. ergo &c.

2. Secundo ex adultis, qui baptizantur cum aequali dispositione, ille, qui habet plura, & grauiora peccata, accipit remissionem plurimum, & grauiorum peccatorum: ergo baptismus in dispositis aequaliter causat effectum inaequalem remissionis peccatorum.

3. Tertio aliquando baptismus confert non solum salutem spiritualem, sed etiam corporalem, vt narratur de Constantino, qui per baptismum mundatus est à lepra; sed alij ægroti, dum baptizantur cum aequali dispositione, vt plurimum non recipiunt salutem corporalem: ergo &c.

4. Respondeo plures esse sententias. Prima, quam insinuat Scotus in 4. distinct. 4. quæst. 7. & Gabriel eadem dist. quæst. 2. docet paruulis, & adultis aequaliter dispositis in-

baptismo, (& eadem ratio est de alijs sacramentis) dari gratiam inaequalem ex diuina prædestinatione, qua prædestinati sunt ad inaequalem gratiam, & gloriam.

5. Secunda, quam insinuat idem Scotus, & quam sequitur Caietanus 3. parte quæst. 64. art. 1. docet paruulis, & adultis dari concomitantè in sacramento maiorem, aut minorem gratiam, pro maiori, vel minori deuotione ministri, & parentum, etiam si suscipientes sint aequaliter dispositi.

6. Tertia Paludani in 4. quæst. 1. docet paruulis, qui præuidentur morituri ante usum rationis, dari inaequalem gratiam ex sacramento allato in argumento primo, ne alioquin sint pares in beatitudine.

7. Dicendum cum communi sententia S. Bonauenturae in 4. dist. 4. art. vlt. quæst. 3. S. Thomæ hac 3. parte, quæst. 69. art. 8. & aliorum, quos refert, & sequitur Suarius disput. sect. 5. baptismus, (& eadem est ratio de ceteris sacramentis) de lege ordinaria aequaliter dispositis confert gratiam aequalem, inaequaliter dispositis inaequalem.

8. Probatur ex ratione, quam affert S. Thomas quæst. 69. art. 8. Nam causa naturalis in subiectis aequaliter dispositis, & applicatis producit aequalem effectum, in subiectis inaequaliter dispositis, & applicatis producit effectum inaequalem: ex. gra. ignis maiorem calorem producit in subiecto magis disposito, & applicato; sed Deus per suauem dispositionem suæ prouidentia voluit, vt sacramenta operarentur ad modum causarum naturalium, vt excitarentur homines ad sacramenta cum maiori præparatione, ac deuotione recipienda: ergo &c.

Probatur secundo, reijciendo alias sententias, & earum fundamenta. Primo enim sacramenta in subiecto aequaliter disposito non producant gratiam inaequalem ratione diuinæ prædestinationis. Nam sicut Deus per suauem dispositionem suæ prouidentia nunquam prædestinat ad maiorem gloriam, quin prædestinet ad maiorem gratiam, sic de lege ordinaria non prædestinat ad recipiendam maiorem gratiam in sacramento, quin prædestinet ad recipiendum sacramentum cum maiori dispositione. Prædestinat enim ad fines per debita media. Secundo, qui suscipiunt sacramentum cum aequali dispositione, non recipiunt inaequalem gratiam propter diuersa merita parentum, vel ministrorum, vt docet Caietanus. Gratia enim sanctificans, quæ est primarius effectus sacramenti, non datur merito parentum, & ministrorum, sed merito solius Christi, vt colligitur ex Paulo 1. ad Corinth. 1. Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis? & vt docet Augustinus lib. 4. de baptismo, cap. 29. Ambrosius lib. de mysterijs cap. 3. Cyprianus lib. de baptismo Christi, Chrysostomus homil. de suo reditu ex Asia. Ideo Nazianzenus orat. 40. in sanctum baptismum com-

comparat ministrum bonum, vel malum sigillo ferreo, vel aureo, quod æqualem facit effectum. Merita igitur parentum, & ministrorum, possunt quidem de congruo impetrare baptizato adulto auxilia efficacia, ad hoc, vt baptizetur cum maiori dispositione, & sic recipiat maiorem gratiam, sed non possunt de lege ordinaria obtinere, vt licet baptizetur cum æquali dispositione, recipiat maiorem gratiam. Tertio homines fuerunt instituti ad implendas sedes Angelorum, qui peccauerunt, sed non fuerunt instituti ad implendas illas solas sedes. Patet. Nam Christus, & beata Virgo obtineant sedem, & gradum beatitudinis, quem nullus Angelus obtinuit. Homines igitur ita implebunt sedes Angelorum, vt aliqui, puta Christus, & beata Virgo sint habituri sedes superiores, aliqui, hoc est qui baptizati moriuntur ante vltimum rationis, sint habituri sedes inferiores, & inter se æquales.

9. Ad do sacramenta magis dispositis conferre maiorem gratiam sanctificantem, non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, ita vt qui ex. gr. suscipiant baptismum cum dispositione vt vnum, vltra gratiam ex opere operantis accipiat vnum gradum gratiæ, qui suscipit cum dispositione vt duo, vltra gratiam ex opere operantis accipiat duos gradus gratiæ. Ratio est, quia ex dictis causa in subiecto magis disposito producit maiorem effectum.

10. Ad 1. patet ex dictis.

11. Ad 2. concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo baptismus in dispositis æqualiter confert effectum formaliter inæqualem remissionis peccatorum, nego; materialiter solum inæqualem, concedo. Effectus baptismi est remittere omnia peccata; sed baptismus tum habenti plura, tum habenti pauciora peccata, remittit omnia peccata: ergo confert effectum remissionis peccatorum formaliter æqualem, ac materialiter solum inæqualem.

12. Ad 3. Salus corporalis est effectus baptismi solum per accidens, cum baptismus sit institutus ad conferendam salutem spirituale, non autem corporalem: effectum autem per accidens sacramentum causat in vno, & non in alio extraordinariè solum, & prout Deus voluerit.

## QVÆSTIO LXXI.

*Virum sacramenta veteris legis gratiam causarent ex opere operato?*

1. Videntur causasse, primo quia ideo sacramenta noua causant gratiam ex opere operato, quia per illa applicatur passio Christi præterita; sed per sacramenta vetera applicabatur passio Christi futura: ergo &c.

2. Secundo per sacramenta vetera homi-

nes sanctificabantur, ideoque Leuit. 8. dicitur: *cumque sanctificasset Aaron, & filios eius; sed sanctificatio non fit, nisi per gratiam*: ergo &c.

3. Tertio plura vetera sacrificia, & sacramenta habebant annexas promissiones de remissione peccatorum, quæ promissiones leguntur Leuit. 4. 5. & 6. ac proinde remittebant peccata; sed peccata non remittuntur, nisi per gratiam: ergo conferebant gratiam.

4. Quarto, vt arguit Calvinus lib. 4. institut. cap. 14. §. 23. 1. ad Corinth. 10. Apostolus loquens de manna, & de aqua scaturiente ex petra, dicit, quod Iudæi eandem escam spirituales manducauerunt, & eundem potum spirituales biberunt; sed manna, & aqua non fuissent idem cibus, & potus spiritualis cum nostra Eucharistia, si non contulissent eundem effectum spirituales gratiæ: ergo &c.

5. Respondeo duas esse sententias extremè contrarias. Prima Magistri in 4. distinct. 1. qui videtur docere sacramenta vetera neque ex opere operantis iustificasse, & contulisse gratiam, etiam si in fide, & charitate susciperentur, quia data erant, vt essent oneri populo duræ cervicis, non autem vt iustificarent.

6. Secunda quorundam antiquorum, quos refert Suarius disput. 10. sect. 3. docet sacramenta vetera contulisse gratiam, non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato.

7. Dicendum cum tertia, & communi sententia S. Thomæ hoc art. 6. Suarj de Sacramentis, disput. 10. sect. 3. Vasquez 1. 2. disput. 184. Bellarmini lib. 2. de Sacramentis, cap. 13. & aliorum: sacramenta Mosaica conferebant, vel augebant gratiam solum ex opere operantis, non autem ex opere operato, excepta circumcisione, de qua agam quæstione sequenti.

8. Probatur prima pars, quod nimirum sacramenta vetera conferebant gratiam ex opere operantis. Nam omnia opera bona iustorum facta ex fide, non solum in lege mosaica, sed etiam in lege naturæ erant de condigno meritoria augmenti gratiæ, & iustificationis, ideoque ad Rom. 2. dicitur, *Factores legis iustificabuntur*, & Iacobi 2. *Abraham pater noster non ne ex operibus iustificatus est?* quod intelligitur de operibus factis ex fide, & dilectione; sed susceptio sacramentorum veterum à Deo institutorum erat opus bonum spectans ad religionem, & obedientiam; ergo &c. Licet igitur sacramenta vetera non fuissent data, vt iustificarent ex opere operato, tamen fuerunt data, vt iustificarent ex opere operantis, sicut alia opera bona.

9. Probatur secunda pars, quod nimirum non iustificarent ex opere operato, primo afferendo ex S. Thomæ hoc art. 6. quæst. 62. rationem congruentiæ, propter quam Deus voluit, vt ante aduentum Christi homines iustificarentur per solam fidem, non autem per

per sacramenta ex opere operato, post aduentum Christi iustificarentur per sacramenta ex opere operato. Christus enim præsens debet iustificare eo modo, quo operantur res præsentis, Christus futurus debuit iustificare eo modo, quo operantur res futuræ; sed res præsentis possunt operari physicè etiam per res externas, quibus vtuntur vt instrumentis, res autem futuræ saltem connaturaliter non possunt operari, nisi in quantum sunt intentionaliter præsentis in aliquo actu anime, eo pacto, quo finis mouet, in quantum est in cognitione; ergo Christus præsens debuit nos iustificare physicè per sacramenta, quibus communicet virtutem instrumentalem causandi gratiam; Christus autem futurus debuit in lege veteri iustificare per fidem, in qua erat intentionaliter præsens; Sacramenta autem vetera erant solum protestationes fidei, qua credebatur in Christum venturum.

10. Probatur secundo ex Scriptura. Nam Apostolus sacramenta vetera vocat infirma, egena, & inutilia, dicens ad Galat. 4. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma elementa?* Ad hebræos 7. *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem;* sed si contulissent gratiam ex opere operato, non fuissent egena, infirma, & inutilia; ergo &c.

11. Tertio probatur; nam hæc est differentia legis veteris, & nouæ, quod lex noua potest iustificare, vetus non poterat, ideoque Io. 1. dicitur: *Lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est;* Ad Galat. 3. *In lege nemo iustificatur apud Deum,* & paulo post: *si data esset lex, que posset iustificare, verè ex lege esset iustitia.* Ad hebr. 10. *Vmbra habens lex futurorum, non ipsam imaginem verum;* sed si sacramenta vetera habuissent vim conferendi gratiam iustificantem ex opere operato, lex mosaïca potuisset iustificare per sua sacramenta; ergo &c.

12. Quarto probatur: nam vt sacramenta possint iustificare, debent habere annexam promissionem gratiæ, & remissionis peccatorum; sed sola sacramenta noua habent annexam hanc promissionem, ideoque ad hebræos 10. de Christo dicitur. *Melius sortitus est ministerium, & melioris mandati mediator est, quod in melioribus promissionibus firmatum est, & paulo post explicans, quæ sint illæ meliores promissiones, affert illud Ieremiæ 31. propitius ero iniquitatibus eorum:* ergo &c.

13. Quinto probatur ex Florentino instructione ad Armenos, vbi loquens de differentia sacramentorum veterum à nouis dicit. *illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam esse figurabant; hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt:* ergo &c.

14. Infertur primo præcipuam differentiam sacramentorum veterum à nouis consistere in hoc, quod non vetera, sed noua habuerint virtutem causandi gratiam ex opere operato, Hanc differentiam negant tum

hæretici, dum deprimunt sacramenta noua, ac dicunt illa non causare gratiam ex opere operato, tum illi Scholastici, qui extollentes sacramenta vetera, dixerunt etiam illa causare gratiam ex opere operato.

15. Infertur secundo alias etiam dari differentias sacramentorum nouorum à veteribus, quas affert Augustinus epist. 118. ad Leonarium, lib. 3. de doctrina christiana, cap. 19. lib. 19. contra Faustum, cap. 13. & in psal. 73. Prima est, quod sunt alij ritus. Secunda, quod sacramenta noua sunt pauciora. Tertia, quod noua sunt faciliora, eo pacto, quo hebreus est facilior circumcissione. Quarta, quod noua sunt nobiliora etiam ratione authoris, cum sint instituta à Christo. Quinta, quod vetera fuerunt figura nouorum. Sexta, quod vetera debebant durare solum vsque ad aduentum Messie, noua debent durare vsque ad finem mundi.

16. Ad 1. concedo maiorem, & maiorem, & nego consequentiam. Disparitas est, quia Christus præsens debet operari physice ad nos iustificandos per res exteriores, Christus futurus debuit solum operari intentionaliter, in quantum existebat in actibus fidei, vt explicatum est.

17. Ad 2. distinguo maiorem: homines per sacramenta vetera sanctificabantur legaliter, & figuratiuè, concedo: sanctitate vera, nego; distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam.

18. Ad 3. Respondeo eodem pacto sacramenta vetera habuisse annexas promissiones de remissione legali, & figuratiua peccatorum, non de remissione vera.

19. Sed quæres, quid esset sanctificatio legalis, & figuratiua, quid remissio legalis, quid peccatum legale?

Respondeo, quod ex dictis quæst. 43. lect. illud dicitur sanctificari, & consecrari, quod redditur aptum ad cultum Dei in suo genere; sed homo eleuatus debet colere Deum per actus fidei, spei, & charitatis: ergo vera sanctificatio hominis eleuati consistit in gratia, quæ est radix habituum fidei, spei, charitatis, & virtutum moralium, & hanc sanctitatem veram, hoc est gratiam conferunt sacramenta noua, vetera non conferebant. Iam Deus in lege veteri voluit etiam coli à populo Iudaico cultu externo, & quibusdam externis ceremonijs figuratiuis cultus interni, & instituit quædam sacramenta, quibus danda redderentur apti ad talem externum cultum Deo præstandum; puta instituit circumcissionem, sine qua censentur inepti ad colendum Deum per sacrificia mosaïca, & per alia ceremonias, ideoque si incircumcisus voluisset colere Deum per illas ceremonias, peccasset peccato sacrilegij. Hæc aptitudo ad colendum Deum per ceremonias legales est sanctitas legalis, & figuratiua, & conferebatur per sacramenta vetera. Proportionaliter peccatum legale, & immunditia legalis dicitur



Iustinus dialogo cum Triphone ante medium dicit. *Quin etiam ex eo, quod non possit femina circumcidi, intelligitur signi causa datam esse circumcisionem, non pro opere iustitia.* Irenæus lib. 4. cap. 1. dicit. *Circumcisionem, non quasi iustitie consummatricem, sed in signo eam dedit Deus, ut cognoscibile perseveret genus Abrahæ.* Chrylostomus homil. 27. in Genes. dicit. *Attende, quod Deus circumcisionem pro lege statui voluit, non quod ad animæ salutem efficiere hæc aliquid possit, sed ut Iudæi pueri hoc gratitudinis indicium circumferrent, quasi signum, & sigillum.* Tertullianus lib. contra Iudæos cap. 1. dicit. *Providens Deus, quod hanc circumcisionem in signum, non in salutem esset daturus.* Videri possunt alij Patres apud Bellarminum, & Vasquez locis citatis.

9. Probatur tertio. Nam Philo lib. de circumcisione, & Iosephus lib. 1. antiquitatum, cap. 12. cum essent iudaicarum rerum peritissimi, dicunt circumcisionem præceptam fuisse in signum, & non faciunt mentionem, quod esset remedium peccati originalis.

10. Probatur quarto argumento; quod insinuat Iustinus loco citato. Nam remedium originalis debuit esse commune omnibus gentibus, sicut baptismus; debuit esse commune masculis, & foeminis; non debuit necessario differri usque ad octavum diem; & in deserto non debuisset omitti quadraginta annis; sed circumcisio non erat communis omnibus gentibus, sed propria Iudæorum; non erat communis foeminis, sed propria masculorum; debebat necessario differri usque ad octavam diem; & ut habetur Iosue 5. in deserto fuit omisa quadraginta annis, quia ut dicit Hieronymus in cap. 3. ad Galat. *Iudæi in deserto cum non essent mixti alijs gentibus, non indigebant signo distinctivo: ergo &c.*

11. Quoad secundam quæstionem plures fuerunt sententiæ. Prima Magistri in 4. distinct. 1. & glossæ in cap. *Quod autem de Consecrat.* dist. 4. docet, quod per circumcisionem remittebatur peccatum originale, sed non conferebatur gratia. Hæc opinio, si intelligatur, ut verba sonant, rejicitur ab omnibus cum Sancto Thoma 3. parte quæst. 70. art. 4. & putatur erronea. Primo enim peccatum originale non remittitur, nisi per gratiam, ac de lege ordinaria non datur medium inter amicum Dei, & inimicum. Secundo, paruuli Iudæorum, qui post circumcisionem moriebantur ante usum rationis, consequentur æternam salutem; sed nemo saluatur sine gratia sanctificante; ergo &c.

12. Secunda sententia, quæ citatur ab Alexandro 4. parte quæst. 7. memb. 3. art. 4. & à S. Bonaventura in 4. dist. 1. art. 3. quæst. 3. docet, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur ex vi circumcisionis, gratia autem dabatur, non tamen ex vi circumcisionis, sed ex sola Dei liberalitate, & quasi concomitanter.

13. Tertia sententia, quæ refertur ab ijs-

dem, & à S. Thoma 3. parte quæst. 70. art. 4. docet in circumcisione datam fuisse gratiam, sed ita, ut quoad effectus privatiuos daretur ex vi circumcisionis, quoad effectus positiviuos daretur solum concomitanter. Effectus privatiui gratiæ dicuntur, qui consistunt in ablatione, ex. gr. ablatio peccati, ablatio reus poenæ æternæ &c. Effectus positiviui autem qui consistunt in communicatione; ex. gr. effectus positiviui gratiæ est constituere hominem amicum Dei, & heredem vitæ æternæ potentè operari meritorie, & obsequere omnia præcepta.

14. Quarta sententia Alexandri, quam sequutus est S. Thomas in 4. distinct. 1. quæst. 4. art. 4. quæstione 3. docet ex vi circumcisionis datam fuisse gratiam quoad aliquos, non quoad omnes effectus positiviuos, hoc est quoad effectus positiviuos constituendi amicum Dei heredem vitæ æternæ, quoad effectus autem positiviuos, qui sunt, *posse operari meritorie, & posse obsequere omnia præcepta*, datam fuisse non ex vi circumcisionis, sed concomitanter.

15. Quinta S. Bonaventuræ in 4. distinct. 1. art. 3. quæstione 3. & Gabrielis distinct. 1. quæstione 4. docet, quod in circumcisione dabatur gratia quoad omnes suos effectus, tum privatiuos, tum positiviuos, sed quoad privatiuos perfectè, quia perfectissime auferretur peccatum originale; quoad aliquos positiviuos imperfectè, quia gratia illa non dabat perfectam potentiam obsequendi præcepta, & resistendi concupiscentiæ.

16. Contra istas opiniones dicendum cum S. Thoma 3. parte quæst. 8. art. 4. In circumcisione dabatur gratia perfectè quoad omnes effectus formales, quos illa gratia poterat causare in genere causa formalis.

Probatur. Nam agens inducens aliquam formam, primo, & per se intendit omnes effectus formales talis formæ, & perfectionis magis intendit; sed Deus in circumcisione dabat gratiam: ergo primo, & per se intendebat omnes effectus formales gratiæ, tum privatiuos, tum positiviuos. Debet autem aduenire, quod quia forma minus intenta confert effectum formalem minus intentum, eo peccato, quo minor albedo reddit subiectum minus album: gratia autem, quæ dabatur in circumcisione, erat minus intensa, quam quæ dabatur in baptismo; ideo proportionaliter conferebat effectus formales minus intensos, quam baptismus, ac proinde circumcisio dabat effectum in hoc sensu intelligatur quinta sententia S. Bonaventuræ, est vera.

17. Quoad tertiam quæstionem, prima sententia Alexandri 4. parte quæst. 7. memb. 3. S. Bonaventuræ, Scoti, Gabrielis in 4. distinct. 1. docet circumcisionem iustificasse, & contulisse gratiam ex opere operato.

18. Secunda sententia S. Thomæ 3. parte quæst. 70. art. 4. quem præter Thomistas sequuntur Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 14. & 14.

& 14. & Vasquez 1. 2. disp. 130. cap. 3. docet circumcissionem non iustificasse ex opere operato, & vi sua, sed solum ratione fidei. Sicut ergo in lege naturæ infantes iustificabantur per fidem applicatam applicatione, vel mere interna, vel signo sensibili, ut supra diximus, sic masculi Iudæorum iustificabantur per fidem ministri, quæ tamen ut suum effectum causaret, per se debebat applicari per signum circumcissionis: & hanc sententiam existimo veram.

19. Probatur primo ex Scriptura, & præsertim ex Apostolo, qui ad Rom. 3. dicit. *Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo; sed circumcisio erat opus præcipuum legis: ergo non iustificabat coram Deo, sed solum iustificabat iustitia quadam externa.* Eodem capite dicitur, *Deus est, qui iustificat circumcissionem ex fide, & præputium per fidem;* ergo Apostolus virtutem iustificandi tribuit fidei, negat circumcissioni. Ad Rom. 4. ex professo probat Abrahamum non in circumcissione, sed in præputio esse iustificatum, ut ostendat hominem non iustificari ex circumcissione, sed ex fide. 1. ad Corinth. 3. dicit: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est.* Quomodo nihil esset, si habuisset vim iustificandi ex opere operato, sicut baptismus? Ad Galat. 6. *Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nona creatura.* Si autem circumcisio contulisset gratiam ex opere operato, multum valuisset. Ad Coloss. 2. *Circumcisio estis circumcissione non manu facta in expoliatione carnis, sed in circumcissione Christi, conscripti ei in baptismo:* ergo circumcissionem opponit baptismo in hoc, quod illa expoliaret carnem, baptismus mundet animam.

20. Posset dici cum Caluino lib. 4. institut. cap. 14. §. 24. Apostolum loqui de circumcissione, postquam abrogata est per Christum. Tunc enim erat planè inutilis: at antequam abrogaretur, iustificabat ex opere operato.

Sed contra: nam quia Iudæi gloriabantur de circumcissione, antequam abrogaretur, ac de ceremonijs legis, quasi per illa iustificati fuissent, Apostolus reprehendit illos, & ostendit inanem esse hanc gloriationem, quia circumcisio nihil est, quia nihil valet, quia sacramenta vetera erant egea, & inutilia ad iustificandum, quia ceremoniæ legis erant vmbra futurorum, quia dabant solum iustitiam quandam carnalem, quia ex operibus legis non iustificabatur omnis caro coram Deo. Addit ad hebræos 7. *Reprobatio fit prioris mandati propter inutilitatem,* ac proinde dicit legem veterem fuisse abrogatam, quia erat inutilis ad iustificandum: ergo manifestè loquitur de circumcissione, antequam abrogaretur, ac docet non circumcissionem iustificasse, sed fidem, qua etiam gentes poterant iustificari, adeoque quoad hoc Iudæos non posse se gentilibus præferre.

21. Probatur secundo ex Patribus. Iustinus, Irenæus, Chrysostomus, & Tertullianus

Tom. III.

relati num. 8. in resp. ad primam quæstionem, expressè docent circumcissionem datam fuisse ad significandum, non ad iustificandum. Expressius Irenæus loco citato dicit: *& quia non per hæc iustificabitur homo, sed in signo data sunt populo, ostendit, quod ipse Abraham sine circumcissione credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Chrysost. loco itidem citato concludit. *Nam ad iustitiam ipsa circumcisio nihil conducit.* Cyprianus lib. 1. contra Iudæos, cap. 8. dicit, antiquos ante institutam circumcissionem fuisse iustificatos, quia signaculum seminis nihil proficit. Ambrosius epist. 7. ad Irenem dicit. *Signum circumcisio corporalis, veritas circumcisio spiritualis; illa membrum amputat, ista peccatum.*

22. Probatur tertio. Nam Concilium Florentinum in instructione ad Armenos explicans differentiam sacramentorum veterum à novis dicit: *illa nimirum non causabant gratiam, sed illam tantum per passionem Christi dandam esse figurabant: hæc vero nostra, & causant gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt;* sed circumcisio erat vnum ex sacramentis veteribus: ergo &c. Confirmatur: nam Concilium vult esse excellentiam propriam sacramentorum novorum, ut causent gratiam; non esset autem excellentia propria, si circumcisio causasset gratiam ex opere operato.

23. Probatur quarto ratione, quam quæstione 72. attulimus ex S. Thoma. Nam Christus antequam veniret, debuit homines iustificare, non per res externas, sed in quantum erat intentionaliter præsens in aliquo actu animæ: ergo debuit iustificare per fidem, non per circumcissionem, neque per alia sacramenta externa, & sensibilia.

24. Quæres: quandoquidem circumcisio non iustificabat ex opere operato, iustificabaturne ex opere operantis?

Respondeo, quod adulti in circumcissione accipiebant gratiam solum ex opere operantis, sicut per alia opera facta ex fide. In hoc sensu circumcisio non iustificabat parvulos ex opere operantis, cum nullus in parvulis circumcisus daretur actus bonus, & meritorius. Si verò quæretur, utrum quia iustificabat virtute fidei ministri, debeat dici, quod iustificabat ex opere operantis? Respondeo quæstionem esse de nomine, in qua potius dici debet, quod neque iustificabat ex opere operato, neque ex opere operantis, hoc est propter meritum suscipientis, sed virtute fidei ministri, cui fidei Deus promiserat gratiam, dummodo applicaretur per circumcissionem.

25. Quoad quartam quæstionem, probabile est circumcissionem fuisse per se necessariam ad iustificandos parvulos masculos Iudæorum, ita ut excepto casu necessitatis, & exclusa dispensatione Dei, non possent iustificari, nisi fides applicaretur illis per circumcissionem. Probatur: nam Genes. 17. Deus dicit:

X

dicit:

dicit: masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia *patrum meum irritum fecit*. Licet verò Bellarminus lib. 2. de sacramentis, cap. 15. & 17. censeat per ea verba solum imponi pœnam mortis corporalis ijs, qui transgredientes pactum, seu mandatum circumcisionis, neglexissent circumcidere se ipsos, vel paruulos tuos, paruulis autem non circumcisis imponi pœnam cuiusdam excommunicationis, & separationis à populo Dei, tamen Augustinus lib. 16. de Ciuit. cap. 27. lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 30. lib. 2. de Nuptijs, & concupiscentia, cap. 11. quem sequitur Innocentius III. cap. *Maiores* de baptismo, & eius effectu, existimat per ea verba imponi paruulis etiam pœnam mortis æternæ ob non dimissum peccatum originale: ergo circumcisio erat per se necessaria paruulis Iudæorum ad obtinendam remissionem peccati originalis. Dixi, quod erat per se necessaria. Nam in casu necessitatis, puta cum paruuli periclitabantur ante diem octauum, vel cum ægrotautes non poterant octauo die circumcidi sine periculo mortis, aut morbi grauioris, poterant iustificari per remedium legis naturæ, sicut etiam in deserto per annos quadraginta. Deo dispensante in præcepto circumcisionis, probabile est paruulos Iudæorum iustificatos fuisse per remedium legis naturæ.

26. Oppones. Si circumcisio fuisset necessaria per se ad iustificandos paruulos Iudæorum, Deus motus fuisset ad illis remittendum peccatum originale, non solum à fide parentum, sed etiam à circumcissione; sed quod mouet Deum est causa moralis: ergo non sola fides, sed etiam circumcisio fuisset causa moralis iustificationis.

Respondeo, distingo minorem; quod mouet vt pura applicatio alterius, est causa moralis, nego; quod mouet per se, concedo. Sicut quod requiritur ad effectum vt applicatio, sine qua non causæ physica potest non esse causa physica, sic quod requiritur, vt applicatio sine qua non causæ moralis, potest non esse causa moralis. Ad iustificationem paruulorum per se requirebatur non solum fides, sed circumcisio, ita tamen vt circumcisio requiretetur purè vt applicatio fidei, ideoque sola fides erat causa moralis iustificationis, circumcisio erat pura applicatio, & conditio sine qua non.

27. Ad 1. distingo maiorem: plures Patres dicunt circumcisionem in ordine ad remittendum peccatum originale, fuisse loco baptismi, quoad omnia, & præsertim quoad modum remittendi illud ex opere operato, nego; quoad hoc, quod in circumcisione auferebatur peccatum originale, concedo. Patres dicunt solum in circumcisione remissum fuisse peccatum originale, sicut nunc remittitur in baptismo; at non negant dari plures differentias baptismi à circumcissione explicandas paulo post in fine quæstio-

nis, & præsertim quod baptismus remittit peccatum originale ex opere operato, circumcisio remittebat solum virtute fidei.

28. Ad 2. concedo maiorem; & minorem, & nego consequentiam. Paruuli Iudæorum in circumcisione non iustificabantur ex opere operato, nec ex opere operantis, hoc est propter meritum suscipientis, sed virtute fidei, quæ erat in ministro, scilicet talis fides iustificaret per modum meriti congruo, seu per modum impetrationis, scilicet purè ex promissione Dei per modum sacramenti, etiam si non esset sacramentum, quia non erat signum externum, & inuisibile.

29. Ad 3. nego minorem. Existimo enim cum sententia satis communi de lege ordinaria adultis, qui circumcidebantur, peccata mortalia personalia non fuisse remissa, nisi haberent contritionem formalem peccati, vel amorem Dei super omnia, quolibet dici contritio virtualis, & sic ex opere operantis. Existimo rursus, quod ante Christum sola contritio erat remedium ordinarium infallibile ad obtinendam remissionem peccatorum mortalium personalium.

30. Ex dictis possunt inferri plures differentia baptismi à circumcissione. Baptismus est institutus pro omnibus gentibus; pro paruulis, qui non occiduntur in odium fidei, est remedium vnicum; confert gratiam ex opere operato, & multo maiorem, quam conferretur in circumcisione; non requirit in ministro fidem; susceptus ab adultis cum sola intentione aufert omnia peccata quoad culpam, & pœnam. Opposita prædicata conueniebant circumcisioni.

## QVAESTIO LXXIII.

*Virum omnia, vel aliqua sacramenta imprimant caracterem Christi spirituales, indelebilem, & quodnam sit eius subiectum?*

S. Th. quæst. 63.

1. **V**identur non imprimere: primo quia talis character deberet esse necessarius vel utilis ad aliquem effectum, ac deberet colligi ex Scripturis; sed non colligitur ex Scripturis, & nulla ipsius apparet utilitas: ergo &c.

2. Secundo non est maior ratio, cur vnum potius sacramentum, quam aliud imprimat caracterem: ergo omnia deberent imprimere, quod est falsum.

3. Tertio videtur character non debere esse indebilis. Nam damnati debent spoliari omnibus donis supernaturalibus; sed si character esset indebilis, non spoliarentur omnibus donis supernaturalibus, siquidem multi retinerent characteres sacramentales: ergo.

4. Quat-

4. Quarto videtur debere recipi in anima, non autem in eius potentia, puta in intellectu, vel voluntate. Debet enim recipi in eo subiecto, in quo recipitur gratia; sed gratia recipitur in ipsa substantia animæ; ergo etiam character.

Respondeo S. Thomam postquam quæsit de gratia, quæ est effectus principalis sacramentorum, quæst. 63. per sex articulos, quorum doctrinam hic breuiter explicabimus, agere de effectu secundario sacramentorum, qui est character.

6. Articulo primo quærit, vtrum aliqua sacramenta imprimant characterem? Respondet affirmatiuè cum omnibus Scholasticis. Conclusio est de fide; siquidem à Concilio Florentino in instructione ad Armenos, & à Tridentino sess. 7. can. 9. contra Calvinistas, aliosque hæreticos recentiores definitur tria sacramenta, quæ non possunt validè iterari, hoc est baptismum, confirmationem, & ordinem, imprimere in anima characterem, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, quo signatur anima hominis christiani.

7. Probatum primo ex Scriptura. Nam, 2. ad Corinth. 1. dicitur, qui vixit nos Deus, & signauit nos, vixit nimirum gratia, signauit characterem. Ad Ephesios 1. in quo & credentes signati estis; ad Ephes. 4. Nolite contristare Spiritum Sanctum, in quo signati estis.

8. Probatum secundo ex Patribus. Dionysius cap. 2. de Ecclesiastica Hierarchia loquens de eo, qui baptizatur, dicit. Hunc diuina maiestas in sui consortium admittit, eique lucem suam, perinde ac signum aliquod tradit. Cyrillus Hierosolymitanus in præfatione Catecheson baptismum vocat signaculum sanctum, & indelebile. Catechesi quarta dicit. Spiritus Sanctus tempore baptismi animam tuam obsequat; Catechesi 16. hic ad hodiernum usque diem obsequat animas in baptismo. Chrysostomus hom. 2. in epist. ad Ephes. dicit. Porro characterem Spiritus Sancti nos insigniuit, & infra; signati sumus Israelitæ, sed circumcisionis nota, vt pecora; nos autem vt filij signati sumus Spiritu Sancto. Idem docent Basilius, Nazianzenus, Epiphanius, Ambrosius, Augustinus plurimis in locis, qui lib. 6. de baptismo dicit, hoc in generali concilio fuisse approbatum. Videri potest Bellarminus lib. 2. de Sacram. cap. 21.

Respondent hæretici, nomine characteris intelligi signum externum.

9. Sed contra. Nam Patres dicunt hoc esse signaculum animæ, esse spirituale, & opponunt illud signo corporeo circumcisionis; dicunt illud hære, & manere, vt Augustinus lib. 2. contra epistolam Parmeniani, cap. 13. Non minus, inquit, hærent Sacramenta Christiana, quam nota corporalis, cum videamus, nec Apostatas cavere illis, quæ propterea illis respicientibus, non restituntur, quia amitti non potuerunt.

Confirmatur: nam si esset solum signum externum, omnia Sacramenta imprimerent characterem, quod à Patribus negatur, cum

Tom. 111.

dicant illa, quæ characterem imprimunt, reiterari non posse.

10. Probatum tertio ratione, quam indicat Tridentinum loco citato. Nam negato characterem, non est ratio, quare baptismus, confirmatio, & ordo non possint validè iterari; admissio autem characteris apparet hæc ratio. Sacramenta enim, quæ imprimunt characterem, semper manent in characterem, qui non potest augeri, nec minui: ergo non possunt iterari. Sacramenta autem, quæ conferunt solum gratiam, quæ potest amitti, & augeri, possunt iterari ad gratiam amissam iterum, conferendam, vel conseruatam augendam.

11. Dubitatur, vtrum sacramenta vetera, & præsertim circumcisio imprimerent characterem spiritualem.

Respondeo negatiuè cum S. Thoma, hoc art. 1. quæst. 63., quem sequuntur Theologi communiter contra Scotum in 4. dist. 6. quæst. 9. Ratio est, quia sicut sacramenta vetera non ordinabantur ad conferendam sanctitatem veram, & spiritualem, sed solum carnalem, & legalem, sic non imprimebant characterem spiritualem animæ, sed circumcisio relinquebat in solo corpore signum carnale. Confirmatur: nam plures ex Patribus supra citatis characterem spiritualem baptismi opponunt characteri carnali circumcisionis; ergo existimantur circumcisio, & sacramenta vetera non impressisse characterem spiritualem.

12. Articulo secundo quærit, vtrum character sit spiritualis potestas.

Respondet affirmatiuè. Ratio est, quia character est quoddam signum, per quod homo fit aptus ad cultum diuinum; sed aptitudo ad cultum diuinum consistit in potentia, quadam passiuâ recipiendi diuina, & in potentia actiuâ tradendi diuina alijs; ergo character consistit in quadam potentia, partim actiuâ, partim passiuâ recipiendi diuina, eaque alijs tradendi, iuxta illud Dionysij cap. 2. de diuinis nominibus, vbi cum dixisset, quod Deus in quodam signo tradit sui participationem, subiungit, perficiens eum diuinum, & communicatorem diuinorum. Character igitur baptismi consistit in quadam potentia passiuâ recipiendi alia sacramenta. Character confirmationis consistit in potentia partim passiuâ recipiendi alia sacramenta, seu ad illa disponendi, partim ad illa profitendi fidem. Character ordinis consistit in potentia actiuâ conficiendi, & ministrandi sacramenta.

13. Inferitur characterem reduci ad genus qualitatis, vt cum S. Thoma docent Scholastici communiter, & non consistere in mera relatione, & respectu, vel reali, vt opinatus est Scotus in 4. distinct. 6. quæst. 9., & ibidem quæst. 2. vel rationis tantum, vt docuerunt alij. Ratio est, quia ex Aristotele in prædicamentis cap. de quali, qualitas diuiditur in quatuor species, quarum prima est habitus, & dispositio; secunda est potentia, & impotencia;

na; tertia est passibilis qualitas; quarta est forma, & figura; sed character consistit in quadam spiritali potentia, ut dictum est: ergo &c.

14. Articulo tertio quærit, utrum character sacramentalis sit character Christi?

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia character est signum, quo homo fit aptus ad colendum Deum iuxta ritum religionis christianæ; sed totus ritus religionis christianæ derivatur à sacerdotio Christi, qui Psal. 109. dicitur *Sacerdos in æternum*, à quo ut Sacerdote, & principe religionis tota christiana religio debebat oriri: ergo character nil aliud est, quam quædam participatio sacerdotij Christi, & quoddam signum, quo christiani configurantur Christo, & dicitur character Christi, sicut si militibus imprimeretur character, quo configurarentur duci suo, character ille diceretur character ducis.

15. Dubitatur, utrum in Christo fuerit character?

Respondeo negatiuè S. Thomas art. 5. quæst. 63. in corpore. Ratio est, quia character est participatio sacerdotij Christi: ergo debet esse solum in ijs, qui participant sacerdotium Christi non in ipso Christo, qui propter unionem hypostaticam Verbi cum humanitate est naturalitèr sacerdos in æternum cum plenissima potestate. Confirmatur: nam ouibus, militibus, seruis &c. conuenit signari characterem pastoris, ducis, domini &c. pastores, duces, & supremi domini signari non debent. Confirmatur secundo; nam Christus nullum suscepit sacramentum nouæ legis, excepta eucharistia, quæ non imprimit characterem: ergo nullum suscepit characterem.

16. Articulo quarto quærit, utrum character sit in potentijs animæ, tanquam in subiecto?

Respondeo affirmatiuè. Ratio est, quia character ordinatur ad cultum Dei, qui exercetur per actus; sed actus sunt proprii potentijs: ergo character debet immediatè recipi, non in essentia animæ, sed in aliqua eius potentia; sed cultus Dei est quædam protestatio fidei per signa exteriora: ergo character debet recipi in ea potentia, quæ est subiectum fidei; sed subiectum fidei est intellectus: ergo character debet immediatè recipi in intellectu.

Huic sententiæ S. Thomæ repugnant plures scholastici. Marsilius enim in 4. quæst. 4. art. 1. docet characterem recipi in ipsa essentia animæ, & hanc opinionem veriorē censet Bellarminus lib. 2. de sacramentis, cap. 19. Scotus in 4. distinct. 6. quæst. 11. docet characterem recipi in voluntate. Alexander 4. p. quæst. 19. memb. 3. S. Bonaventura in 4. dist. 6. art. 1. quæst. 3. docuerunt characterem recipi in tribus potentijs animæ, memoria nimirum, intellectu, & voluntate, cum sit signum Trinitatis, cuius imaginem

anima rationalis habet in tribus potentijs.

17. Articulo quinto quærit, utrum character sit indelebilis.

Respondeo affirmatiuè. Conclusio est de fide ex florentino in instructione ad Armenos, & ex Tridentino sess. 7. can. 9. Probatur primo. Nam qualitates, quæ non habent contrarium, & recipiuntur in subiecto incorruptibili, sunt incorruptibiles, & indelebiles, sed character non habet contrarium, & recipitur in anima, quæ est incorruptibilis ergo &c. Ex opposita ratione gratia, quia habet contrarietatem cum peccato, potest per peccatum deleri, & amitti. Probatur secundo; nam cum character sit quædam participatio sacerdotij Christi, quod est æternum, iuxta illud psal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum*, etiam character debet esse æternus. Hinc sequitur characterem post hanc vitam remanere in beatis ad gloriam, & in damnatis ad ignominiam, ut docet S. Thomas hoc art. 4. ad 3.

18. Articulo sexto quærit, utrum per omnia sacramenta nouæ legis imprimatur character?

Respondeo characterem imprimi per tria solum sacramenta, baptismum nimirum, confirmationem, & ordinem. Conclusio est de fide ex cõcilio florentino in instructione ad Armenos, & ex tridentino sess. 7. can. 9. Probatur à posteriori. Nam sacramenta, quæ characterem imprimunt, iterari non possunt; sed solum hæc tria sacramenta non possunt valide iterari: ergo &c. Probatur secundo à priori. Nam cum character sit signum Christi, dans aliquam spiritalē potestatem, illa omnia, & sola sacramenta debent imprimere characterem, per quæ homo adscribitur familiæ Christi, vel constituitur in aliquo gradu talis familiæ, & sic accipit potestatem proportionalitèr respondentem tali gradui; sed per baptismum homo adscribitur familiæ Christi, quæ est Ecclesia, & accipit potestatem percipiendi sacramenta, & alia bona Ecclesiæ; per confirmationem adscribitur militiæ Christi, ut gerat signum eius in fronte, & accipit potestatem ex officio pugnandi contra Dæmones; per ordinem adscribitur in numerum ducum, & prepositorum huius militiæ, & accipit potestatem distribuendi alijs bona domini sui: ergo hæc tria sacramenta debent imprimere characterem. Alia quatuor non constituunt in gradu, nec dant nouam potestatem, sed eucharistia dat spiritalē alimoniam, pœnitentia dat remedium contra morbos, & vulnera peccatorum, extrema vnctio dat remedium contra peccatorum reliquias, matrimonium dat remedium contra concupiscentiam: ergo quatuor alia sacramenta non imprimunt characterem, ideoque sunt iterabilia.

19. Ad 1. Patet ex dictis. Explicata est enim necessitas, & utilitas characteris, & ostē-

ostensum est eius existentiam colligi ex Scripturis, & Patribus, ac proinde ex traditione Ecclesiæ.

20. Ad 2. iam explicatum est, quænam sacramenta debeant, vel non debeant imprimere characterem.

21. Ad 3. distinguo maiorem: damnati debent spoliari omnibus supernaturalibus, quæ non debeant in ipsis remanere ad pœnam, & opprobrium, concedo; quæ debeant remanere ad pœnam, & opprobrium, nego: distinguo eodem pacto minorem: & nego consequentiam. Damnati non debent spoliari characterem, quia character debet in ipsis remanere ad pœnam, & opprobrium.

22. Ad 4. nego characterem debere recipi immediate in subiecto, in quo recipitur gratia. Nam gratia cum sit quædam natura supernaturalis debet recipi in ipsa natura, & essentia animæ; character cum sit quædam potentia, debet recipi in potentia, vt explicatum est.

TRACTATUS IX.

*De causa, ac ministro sacramenti, & de intentione requisita in ministro.*

**P**ostquam S. Thomas quæst. 62. & 63. egit de effectibus sacramentorum, quæst. 64. decem articulis agit de causa sacramentorum: & quia de causa materiali, & formali egit quæst. 60. de causa finali quæst. 61. ubi disputavit de necessitate, & convenientia sacramentorum in ordine ad finem nostræ salutis, ideo hac quæstione agit solum de causa efficiente: & quia causa efficiens principalis est Deus, causa instrumentalis præcipua est humanitas Christi, quæ operatur etiam per exteriorem ministrum purum hominem, in quo ministro requiritur intentio, ideo agit primo de Deo, vt causa principali, secundo de humanitate Christi vt de præcipuo instrumento, tertio de ministris inferioribus, quarto de intentione, fide, & probitate ministris requisita. Vt hanc doctrinam explicemus sit.

QVAESTIO LXXIV.

*Vtrum solus Deus possit principaliter operari interiorem efficaciam sacramenti, & sacramenta instituere?*

**V**idetur, quod etiam creatura, puta humanitas Christi potuerit diuinitus cleuari ad hoc, vt esset causa princi-

palis sacramenti, & gratiæ, quæ est interior effectus sacramentorum. Nulla enim in hoc apparet repugnantia.

2. Respondeo, ex dictis quæst. 65. solum Deum posse principaliter, & propria auctoritate remittere peccata, & dare gratiam adoptionis, creaturam autem posse hæc facere solum instrumentaliter, & potestate delegata, ex rationibus ibi allatis. Et quia character consistit in potentia actiua, vel passiuæ ad gratiam recipiendam, vel conferendam per sacramentum, ideo solus Deus potest vt causa principalis imprimere characterem: creatura potest ad productionem characteris concurrere solum instrumentaliter. Hinc sequitur, quod solus Deus potest sacramenta instituere vt causa principalis. Ille enim instituit sacramenta vt causa principalis, qui propria auctoritate dat sacramentis virtutem conferendi gratiam, & remittendi peccata; sed sicut solus Deus potest vt causa principalis dare gratiam, & remittere peccata, sic solus potest vt causa principalis dare creaturis virtutem causandi gratiam, & remittendi peccata: ergo &c. Hinc rursus sequitur, quod Christus vt Deus est causa principalis sacramenti, & effectus sacramentorum, vt homo, & secundum humanitatem est causa merè instrumentalis.

3. Ad argumentum in contrarium patet ex dictis. Nam allata est repugnantia, propter quam creatura non potest esse causa principalis gratiæ, & sacramenti.

QVAESTIO LXXV.

*Vtrum, & quo pacto Christus habuerit potestatem instituendi sacramenta, & eorum effectus causandi? & vtrum hanc potestatem potuerit alijs communicare?*

*S. Thom. quæst. 64. art. 3. & 4.*

1. **V**idetur de facto Christus communicasse Apostolis, & Ecclesiæ potestatem instituendi sacramenta. Vt enim docet Alexander 4. p. quæst. 24. mem. 1. sacramentum confirmationis institutum fuit à quodam Concilio meldenis: vt docuit magister in 4. dist. 27. sacramentum extremæ vnctionis institutum est à Iacobo in sua epistola canonica, cap. 5. vt docuit Glossa de consecrat. distinct. 5. in principio, sacramentum poenitentiae, & confessionis institutum est ab Ecclesiâ; ergo &c.

2. Respondeo, quod Christus vt Deus est causa principalis propria auctoritate instituens omnia sacramenta, & causans eorum effectus; vt homo autem, & secundum humanitatem est causa sacramentorum merè instrumentalis. Quia tamen humanitas Christi est instrumentum coniunctum diuinitati, quæ est causa

sa principalis: instrumentum autem coniunctum est principali instrumentis separatis, ut explicatum est quæst. 69. ideo Christus ut homo, & secundum humanitatem est principalis minister sacramentorum, & habet potestatem excellentiorem, quam ministri Ecclesiæ ideoque Christus dicitur habere in sacramenta potestatem excellentiæ. Hæc potestas excellentiæ, ut docet S. Thomas hoc art. 3. consistit in quatuor. Primo in eo, quod sacramenta habent virtutem sanctificandi, non solum meritorie, sed etiam efficienter à passione, & meritis Christi, ut explicatum est quæst. 69. Secundo consistit in eo, quod sacramenta sanctificantur in nomine Christi, ac proinde ministri Ecclesiæ debent sacramenta conferre nomine Christi, quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ut dicitur cap. 3. epist. ad Rom. Tertio consistit in eo, ut Christus potuerit instituire sacramenta, determinando eorum materias, & formas, & dando ijs virtutem sanctificandi. Quarto demum consistit in eo, ut Christus potuerit etiam sine sacramentis gratiam conferre, & peccata remittere, sicut legitur in Evangelio multis sine sacramentis peccata remisisse.

3. Potestatem autoritatis, quam Christus habuit ut Deus, non potuit communicare ulli puræ creaturæ; potestatem autem excellentiæ, quam habuit ut homo (verba sunt S. Thomæ art. 4. in corpore) potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operetur ad sacramentorum effectum, & ut ad inuocationem nominum ipsorum sanctificaretur sacramenta, & ut ipsi possent sacramenta instituire, & sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum animarum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, ut manus baculo. Addit S. Thomas hoc art. 4. in respons. ad 1. quod Christus noluit Apostolis, vel alijs communicare hanc potestatem excellentiæ instituenti sacramenta, ne fideles in puris hominibus ponerent spem salutis & ne darentur diuersa sacramenta à diuersis hominibus instituta, ex quibus diuisio oriretur in Ecclesia, sicut orta est apud illos, qui 1. ad Corinth. 1. dicebant: ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cepha. De facto igitur solus Christus habet potestatem instituendi sacramenta, & solus omnia sacramenta instituit, ut docet florentinum in instructione ad Armenos, & Trident. sess. 7. can. 1. & desumitur ex Apostolo 1. ad Corinth. 4. sic nos existimet homo, ut dispensatores mysteriorum, dispensatores utique, non institutores mysteriorum, seu sacramentorum.

4. Ad argumentum in contrarium respondeo illos authores errasse, & eorum opiniones damnatas fuisse à Tridentino, sess. 7. cap. 1. desinente omnia sacramenta instituta fuisse à Christo.

## QVÆSTIO LXXVI.

Virum omnes, & soli homines, an etiam Angeli possint esse ministri Sacramentorum?

S. Tho. quæst. 64. art. 7.

1. Videntur etiam Angeli posse valide ministrare sacramenta: primo quia narrantur aliquando ministrasse, & aliquos baptizasse.

2. Secundo Augustinus lib. 2. contra Petilianum, cap. 15. dicit; sed quod attinet ad sanctitatem baptisimi, adest Deus, qui dat sine peccatorem, siue per Angelum, siue per se ipsum; ergo censet Angelum posse valide baptizare.

3. Respondeo, quod licet Scotus in 4. distinct. 6. docuerit Angelum in corpore assumpto posse esse ministrum baptisimi, nihilominus dicendum cum S. Thoma art. 7. quod solus homines, non autem Angelos de lege ordinaria posse esse ministros baptisimi, & aliorum sacramentorum. Probat. Nam illi solum possunt de lege ordinaria ministrare sacramenta, quibus Christus sacramentorum institutor dedit hanc potestatem; sed Christus potestatem ministrandi sacramenta dedit solis hominibus; ergo &c. Probat. minor. Nam solis hominibus Matthæi 28. dixit, euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c. Lucæ 24. hoc facite in meam commemorationem. Ioan. 20. quorum remisistis peccata, remittuntur eis, Iacobi 5. inducat presbiteros &c.

4. Quæres, utrum omnes homines viatores possint valide sacramentum ministrare.

Respondeo, ac dico primo: infantes, & perpetuo amentes non posse valide ministrare ullum sacramentum, cum non possint habere debitam intentionem. Secundo dico eos, qui non habent characterem ordinis sacerdotalis, non posse valide conficere quicunque sacramenta, confirmationis nimirum, eucharistiæ, poenitentia, extremæ unctionis, & ordinis, quæ sacramenta non possunt valide confici, nisi à sacerdotibus. Tertio dico quod quia fœminæ iure diuino sunt incapaces ordinis, ideo non possunt valide conficere nisi duo sacramenta, baptisimi nimirum, & matrimonij.

5. Debet aduerti, quod in hac quæstione semper locuti sumus de ministerio, quo sacramentum conficitur, non quo sacramentum iam existens purè communicatur, ut cum alicui porrigitur eucharistia. Neque enim est dubium, quod quicumque dat eucharistiam iam consecratam, siue homo, siue Angelus, valide dat.

6. Ad 1. & 2. Angeli aliquando ministrarunt baptismum autoritate extraordinarie accepta à Christo, & S. Augustinus dicit, quod Deus sanctificat baptismum, siue detur ab homine autoritate ordinaria, siue ab Angelo, autoritate extraordinaria.

Quæ-

## QVAESTIO LXXVII.

*Utrum ad valorem sacramenti requiratur in ministro intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia?*

*S. Thom. 3. quæst. 64. ar. 8.*

**V**idetur non requiri, ut docuerunt Lutherus, Caluinus, & alij haeretici, qui videri possunt apud Bellarm. lib. 1. de sacram. cap. 37. primo quia Verbum Dei quacumque intentione prolatum sufficit ad excitandam fidem; ergo verbum sacramentale quacumque intentione prolatum sufficit ad valorem, & effectum sacramenti.

2. Secundò baptismus collatus ab Athanasio puero fuit approbatus ut validus ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, ut referunt Nicephorus lib. 8. historiar. cap. 44. Sozomenus lib. 2. cap. 6. Rufinus lib. 1. cap. 14. ergo &c.

3. Tertio Augustinus lib. 7. de baptismo cap. 53. non est ausus affirmare, an baptismus per iocum collatus sit validus, sed dicit expectandam esse Dei reuelationem, & tract. 5. in lo. videtur docere baptismum ab ebrio collatum esse validum.

4. Quarto Innocentius IV. in caput si quis puerum, de baptismo, dicit baptismum esse ratum, etiam si minister gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia.

5. Quintò si requireretur intentio ministri, nunquam possemus esse certi, utrum simus validè baptizati, & salus hominis penderet ab arbitrio ministri saepe impij, quod est valdè durum.

6. Respondeo, quod ad valorem sacramenti non sufficit, ut fiat actio externa, etiam si ioco, vel derisorie fiat, ut docuerunt Lutherus, & Caluinus, eorumque sectatores; neque sufficit intentio faciendi actum externum, ut docuit Catherinus, opusc. de intentione ministri, sed requiritur intentio faciendi sacramentum, seu faciendi, quod facit Ecclesia, ut docuerunt Scholastici communiter cum Magistro in 4. distinct. 6. & cum S. Thoma 3. p. quæst. 63. art. 8. & ut definitur Concilium Florentinum in instructione Armenorum, & Trident. sess. 7. can. 11. Hæc autem intentio faciendi, quod facit Ecclesia, sufficit, & non requiritur ulterior intentio explicitæ conferendi effectum sacramenti, puta gratiam, aut characterem. Similiter hæc intentio sufficit, etiam si sit peccaminosa, & propter finem prauum: ex. gr. sacerdos proferens verba consecrationis ex intentione consecrandi, ut Eucharistia deinde abutatur ad veneficia, validdè consecrat, ut docet S. Thomas art. 10. huius quæst. 64.

7. Probatum conclusio. Nam cum Princeps constituit aliquem procuratorem, & mi-

nistrum suum in ordine ad dispensanda sua bona, donando, vendendo &c. ut ille donet, vendat &c. non sufficit, ut faciat tales actiones externas per iocum, & derisorie, vel ferio, sed sine intentione, sed requiritur, ut faciat ex intentione donandi, vendendi &c. sed Christus iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 4. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, constituit homines suos ministros, & procuratores ad efficienda sacramenta nomine Christi, dicens lo. 20. quorum remisistis peccata, remittuntur eis &c. ergo ut homines efficiant sacramenta, debent habere intentionem illa efficiendi, quæ intentio includitur in intentione faciendi quod facit Ecclesia; siquidem Ecclesia vult facere sacramenta.

8. Probatum secundo. Nam nisi requiretur talis intentio, sequerentur tria absurda, quæ infert Hugo de Sancto Victore lib. 2. de sacram. p. 2. cap. 13. Primo cum mater lauat infantem ex intentione lauandi, ac dicit ego te lauo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, baptizaret illum. Secundo cum sacerdos legens Euangelium in mensa sui Prelati pronunciat illa verba hoc est corpus meum, hic est sanguis meus consecraret totum panem, & vinum mensæ. Tertio cum quis ancillam conducens dicit. Ego te accipio in meam intelligens ancillam, & ancilla respondet, ego te accipio in meum intelligens Dominum faceret matrimonium cum ancilla. Huc reuocari potest ratio S. Thomæ hoc art. 8. quod cum verba, & actiones sacramentales possint habere plures sensus, & significationes, ab intentione debent contrahi ad sensum, & significationem sacramentalem.

9. Quæres, quodnam sit obiectum intentionis requisitæ in ministro?

Respondeo, quod minister debet implicite habere intentionem faciendi sacramentum; sed facere sacramentum est facere externas actiones sacramentales, quæ ex diuina institutione, & promissione habeant virtutem sanctificandi; ergo minister debet saltem implicite habere intentionem faciendi illas actiones externas sacramentales, quæ ex diuina institutione, & promissione habeant virtutem sanctificandi. Ecclesia hoc vult explicite, ideoque qui habet intentionem faciendi quod facit Ecclesia, hoc idem vult implicite, & sic habet intentionem sufficientem.

10. Ad 1. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia minister facit sacramentum, ut procurator Dei, procurator autem, ut faciat actum validum, debet habere intentionem faciendi talem actum: puta ut vendat, vel emat, debet habere intentionem vendendi, vel emendi.

11. Ad 2. Baptismus collatus ab Athanasio puero, ideo fuit approbatus ab Alexandro, quia compertum est Athanasium, licet illam actionem fecerit ad iocum, & derisionem, tamen fecisse cum intentione

ba-

baptizandi. Idem dic ad alias similes historias.

12. Ad 3. Augustinus non est ausus decidere, an baptismus per iocum collatus sit validus, quia illo tempore de hoc puncto nihil fuerat definitum ab Ecclesia. Nunc autem definitum est à Florentino saltem requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, ideoque dicendum, baptismum per iocum sine tali intentione esse inualidum. Idem Augustinus indicat baptismum collatum, non quidem ab ebrio, sed ab ebrioso, esse validum, cum nimirum ebriosus operatur cum debita intentione.

13. Ad 4. Innocentius IV. loco citato, postquam dixerat baptismum esse ratum, etiamsi minister gerat in mente non facere, quod facit Ecclesia, addit, dummodo intendat baptizare; ergo iam supponit in baptizante, & requirit intentionem faciendi sacramentum, & putat hanc intentionem, dummodo prævaleat, sufficere ad valorem baptismi, etiamsi baptizans simul habeat aliam intentionem implicite contrariam. Communis enim est sententia, quod cum aliquis habet duas intentiones contrarias, si prævaleat intentio faciendi sacramentum, sacramentum est validum. Adde Innocentium IV. eo loco loqui, ut priuatum doctorem, cum non condant canones, sed illos interpretetur.

14. Ad 5. Licet non possimus habere omnimodam certitudinem de intentione ministri, ac proinde de validitate sacramenti, tamen hanc omnimodam certitudinem in hac vita non debemus querere, sed sufficit, ut non possimus prudenter dubitare de valore nostri baptismi.

### QVÆSTIO LXXVIII.

*Virum requiratur intentio actualis, vel sufficiat virtualis, aut merè habitualis?*

1. **P**rimo videtur requiri intentio actualis. Requiritur enim intentio, quæ influat in actiones externas ministri, puta in actionem baptizandi, consecrandi &c. sed ut influat, debet actu existere; ergo requiritur intentio actu existens, ac proinde actualis.

2. Secundo videtur sufficere intentio merè habitualis, hoc est ut minister habuerit intentionem, & illam non retractauerit, licet talis intentio non influat in actiones externas. In adulto enim, ut validè recipiat sacramentum, puta baptismum, sufficit intentio habitualis, ideoque si quis petierit baptismum, & intentionem non retractauerit, potest validè baptizari, dum dormit; ergo etiam in ministro sufficit intentio habitualis.

3. Tertio Augustinus tractatu 5. in Ioan. dicit baptismum ab ebrioso collatum esse validum; sed non esset validus, nisi sufficeret in-

tentio merè habitualis; ergo &c. Sanctus etiam Thomas hoc art. 8. quæst. 64. expressè dicit sufficere intentionem habitualementem.

4. Respondeo intentionem actualem dici per quam quando quis conficit sacramentum, actu de eo explicitè cogitat, & explicitè vult sacramentum conficere. Talis intentio, licet sit studiosè procuranda, tamen non requiritur ad valorem sacramenti, ut loquitur S. Thomas, quem sequuntur Theologi communiter. Ratio est, quia ut docet idem S. Thomas hoc art. 8. ad 3. actualis intentio non est totaliter posita in nostra potestate. Nam sæpè etiam dum res sanctissimas tractamus, distrahimur ad alia cogitanda iuxta illud psal. 39. *cor meum dereliquit me*; ergo si actualis explicita intentio requireretur ad valorem sacramenti, sæpissimè sacramenta conferrentur inualidè, & semper posset de eorum valore dubitari; sed Christus non ita instituit sacramenta, ut daretur necessitas moralis sæpissimè conferendi illa inualidè; ergo &c.

Intentio purè habitualis dicitur intentio præterita non retractata, quæ neque per se ipsam, neque per virtutem à se relictam influat in actionem externam, qua conficitur sacramentum. Dicendum igitur, ad valorem sacramenti non sufficere intentionem purè habitualementem, sufficere virtualementem, ut docent communiter Doctores. Ratio est, quia ad valorem sacramenti requiritur, ut minister faciat actionem externam humano modo ac proinde ex intentione, adeoque ut intentio concurrat, & influat ad actionem externam; sed intentio præterita non potest influere, nisi per aliquam virtutem à se relictam; ergo &c.

5. Sed quæritur, quid sit id, in quo intentio præterita remanet virtualiter, & concurrat ad actiones sacramentales?

Respondeo, quod intentio virtualiter remanet in aliqua confusa memoria sui, & in aliquo actu confuso voluntatis, quo volumus facere actionem externam propter finem ante intentum: e. g. cum quis vult ire ad faciendum sacrum, & ad conficiendum sacramentum Eucharistiæ, ac deinde alijs cogitationibus distractus induitur sacris vestibus, facit sacrum, & profert verba consecrationis, omnes actiones externas, quas exercet faciendo sacrum, exercet ex aliquo imperio voluntatis: siquidem potentia externæ non operatur, nisi ex præsentis imperio voluntatis; sed omnes actus voluntatis fiunt ex intentione alicuius finis; ergo omnes externas actiones facit ex intentione alicuius finis; sed nihil volitum, quin tunc sit præcognitum; ergo omnes actiones externas facit ex aliqua cogitatione saltem confusa finis. Dicendum igitur, quod in eo durat aliqua confusa memoria finis intenti ab initio actionis, & quod ex memoria mouetur ad imperandas omnes actiones propter finem iam intentum, ac pro-

in de intentio faciendi sacram, & consecrandi, remanet virtualiter in hac confusa memoria, & intentione, & concurret ad consecrationem, quæ ideirco est valida. Ideo ministri sacramentorum, nisi studiosè omiserint intentionem faciendi sacramentum, vel habuerint intentionem oppositam, ineptè dubitant, an habuerint intentionem sufficientem ad valorem sacramenti.

6. Ad 1. Patet ex dictis. Ut enim intentio præterita influat, sufficit, ut existat virtualiter in aliqua confusa memoria sui, quæ moueat ad exercendas actiones sacramentales.

7. Ad 2. concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas est, quia intentio suscipientis requiritur solum, ut dispositio subiecti; intentio ministri requiritur, ut principium actionum sacramentalium; sed dispositio subiecti non debet influere in actionem, principium actionis debet influere in actionem; ergo intentio suscipientis sufficit, ut sit merè habitualis, hoc est præterita, & non retractata; intentio autem ministri debet esse virtualis, ac remanens in aliqua virtute, per quam possit influere in actionem, ut explicatum est.

8. Ad 3. Augustinus, dum dicit baptismum collatum ab ebrioso esse validum, loquitur de eo, qui ita est ebriosus, ut possit habere intentionem saltem virtualem faciendi sacramentum. S. Thomas dum dicit sufficere intentionem habituales, nomine intentionis habitualis intelligit, non purè habituales, quæ non influat in actionem, sed virtuales, quæ influat, ut patet. Nam dicit, quod ex virtute primæ intentionis perficitur sacramentum.

QVÆSTIO LXXIX.

*Vtrum sacramentum possit validè, & licitè conferri per intentionem, & verba conditionata?*

1. Videtur sacramentum posse validè conferri sub qualibet conditione. Qui enim habet potestatem faciendi actum, potest validè illum facere, vel absolutè, vel conditionatè, sub qualibet conditione velit facere talem actum: ex gr: qui habet potestatem donandi aliquid, potest illud donare absolutè, vel conditionatè, prout voluerit; sed Deus dedit ministris potestatem faciendi actus sacramentales, ergo &c.

2. Respondeo intentionem conditionatam etiam verbis expressam de conditione præterita, vel præteriti per se requisita ad valorem sacramenti, cum purificatur talis conditio, proculdubio non impedire valorem sacramenti: ex gr. cum prudenter dubitatur, an aliquis fuerit validè baptizatus, & baptizatur

Tom. III.

sub hac conditione de præterito, si non fuisset baptizatus, ego te baptizo, purificata conditione, proculdubio validè baptizatur. Idem dic cū abortus baptizatur sub hac conditione de præteriti, si tu es capax, ego te baptizo. Ratio est, quia conditio, quæ debet subintelligi, cum exprimitur, & purificatur, non potest impedire valorem actus. Addo, quod tales conditiones, cum de ijs prudenter dubitatur, non solum possunt licitè apponi, sed etiam debent; cum de ijs prudenter non dubitatur, non possunt licitè apponi, ideoque peccaret, qui infantem, de quo non est ratio prudenter dubitandi, vtrum fuerit ante baptizatus, baptizaret sub conditione, quod non fuerit ante baptizatus. Ratio est, quia sacramentum per se debet conferri ex intentione absoluta, & per verba absoluta.

3. Dicendum secundo: intentio conditionata sub conditione incerta de futuro, non sufficit ad valorem sacramenti, ideoque invalidus esset baptismus collatus sub hac conditione, ego te baptizo, si te facies sacerdotem, aut religiosum. Ratio est, quia posita materia, & forma, non potest suspendi valor sacramenti; sed deberet suspendi valor baptismi vsque ad purificationem conditionis; ergo. Aliqui excipiunt sacramentum matrimonij, quod putant posse esse validum sub conditione incerta de futuro post conditionem adimpletam, de quo puncto agitur in tractatu de sacramento matrimonij.

4. Dices: conditio illa, si te facies religiosum, æquiualeat huic, si Deus videt te futurum religiosum, quæ conditio est de præteriti: ergo non deberet suspendi valor sacramenti.

Sed contra: nam minister non potest facere, ut valor sacramenti pendeat à scientia Dei de futuris contingentibus. De lege enim ordinaria præsentia non pendet à scientia Dei de futuris contingentibus, puta frumentum non nascitur æstate dependenter à scientia Dei de futura pluuia autumnij.

5. Dicendum tertio: probabilius est non posse sacramentum validè conferri sub conditionibus incertis, & impertinentibus etiam de præteriti, ac de præterito, ex gr. inuvalidum esse baptismum sub hac conditione, ego te baptizo, si tu es predestinatus, vel si nunc Turca saltat. Ratio est, quia non est verisimile Deum dedisse ministris potestatem faciendi, ut valor sacramenti pendeat à conditionibus ministro incertis, & impertinentibus. Dedit enim potestatem in ædificationem, non autem in destructionem. At sub conditionibus ministro certis etiam de futuro potest validè conferri sacramentum, puta sub hac, ego te baptizo, si erit dies iudicij, si cras Sol orientur. Ratio est, quia cum minister est certus de purificatione conditionis, voluntas illa conditionata æquiualeat absolutæ, puta huic: Ego tam certo te baptizo, quam certum est futurum diem iudicij, vel Solem cras orienturum.

6. Ad argumentum in contrarium: qui

Y

ha-

habet potestatem faciendi actum potest illum facere sub qualibet conditione, sub qua verisimile, & rationale est datam fuisse illi potestatem faciendi talem actum; sed non est verisimile, neque rationale à Deo datam fuisse ministris potestatem faciendi sacramenta sub conditionibus futuris, incertis, & impertinentibus: siquidem hæc potestas esset non in ædificationem, sed in destructionem; ergo.

### QVAESTIO LXXX.

*Virum peccatores, schismatici, & hæretici possint validè conferre sacramenta?*

*S. Thom. qu. 64. art. 5. & 9.*

1. **V**identur non posse: primo quia sacramenta ordinantur ad emundandum hominem à peccatis, & ad dandam illis gratiam; sed peccatores, schismatici, & hæretici, cum sint immundi, non possunt alios emundare à peccatis: nam ut dicitur Ecclesiast. 34. *Ab immundo quid mundabitur?* Et cum careant gratia, non possunt dare gratiam, quam non habent: ergo &c.
2. Secundo eodem cap. 34. Ecclesiast. dicitur. *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio eius?* Sed qui baptizatur ab hæretico, vel peccatore, baptizatur à mortuo; ergo talis baptismus nihil illi prodest, & est inualidus.
3. Tertio, instrumentum debet esse conunctum causæ principalis; sed peccatores sunt præcisi à Christo, qui est causa principalis sacramentorum, cum careant charitate, per quam membra Christo capiti vniuntur, iuxta illud 1. Jo. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo;* ergo &c. A fortiori schismatici, & hæretici non possunt conferre sacramenta: siquidem non solum sunt præcisi à Christo, sed etiam per excommunicationem præcisi sunt ab Ecclesia.
4. Quarto Athanasius lib. 3. contra Arianos, Leo magnus epist. 77. Ambrosius, & alij Patres dicunt sacramenta ab hæreticis recepta pollui, & esse inutilia; ergo.
5. Quinto, ut narrat Eusebius lib. 7. Histor. cap. 7. Concilium quoddam Asiaticum circa annum 258. Iconij coelebratum ab Episcopis Galatiæ, Ciliciæ, Cappadociæ, aliarumque regionum definiuit baptismum, & alia sacramenta ab hæreticis collata esse inualida. Idem antea circa annum 217. definiuerat Concilium Africanum sub Agrippino Episcopo Carthagenensi Sancti Cypriani prædecessore, & post Agrippinum circa annum 258. hoc idem definiuerunt tria alia concilia Africana, præside Sancto Cypriano: ergo &c. Videri possunt Cyprianus epist. 71. & 73. & Baronius ad annos 217. & 258.

6. Respondeo Episcopos Asiaticos, refert Eusebius lib. 7. historiarum, cap. 6. Episcopos Africanos, ut refert Augustinus lib. 2. de baptismo, cap. 7. in concilijs relictis in quinto argumento docuisse non esse valida sacramenta, quæ conferuntur ab hæreticis, schismaticis post eorum separationem ab Ecclesia, ac proinde baptizatos, confirmatos, & ordinatos ab hæreticis, & schismaticis cum redeunt ad Ecclesiam, esse iterum baptizandos, confirmandos, & ordinandos. Augustinus loco citato indicat primum hæreticis erroris authorem fuisse Agrippinum Episcopum Carthagenensem Sancti Cypriani prædecessorem. Baronius autem anno 217. insinuat occasionem errandi dedisse Tertullianum, qui cum esset catholicus, zelo immodico accensus censuit omnia hæreticorum, & schismaticorum sacramenta esse reprobanda. Agrippinum excutit in Episcopatu Carthagenensi, sic in errore sequutus est Sanctus Cyprianus, iuxta quod ipsemet proficitur epist. 71. ad Quintum, & epist. 74. ad Pompeium: imò multi apud Augustinum epist. 48. putant Cyprianum ante martyrium mutasse sententiam, & contra alios Episcopos Africanos reuocasse suum errorem, ut scribit Hieronymus Dialogo contra Luciferianos per motos autoritate Stephani Romani Pontificis, qui Stephanus concilia Africana à Cypriano celebrata reprobauit, Concilium autem Iconij non solum reprobauit, sed etiam Episcopos excommunicauit, ut narrat Baronius ad annum 258. num. 14. 15. & 16. Hunc errorem pertinaciter docuerunt, & auxerunt Donatistæ, ut videtur apud Augustinum in pluribus libris contra ipsos. Aliqui ex Donatistis, teste eodem Augustino, lib. 2. contra Cresconium Grammaticum, cap. 28. quos secuti sunt Apollinarius, teste Bernardo, serm. 76. in Cantica, & Abbigenses, teste Sancto Antonino in summa theologica p. 4. tit. 11. cap. 7. §. 5. docuerunt sacramenta inualidè conferri ab existentibus in peccato mortali, & Viclephus addidit sacramenta inualidè conferri à reprobis, patet ex Concilio Constantiensi sels. 8. & 9. narrat Thomas Vualdensis tom. 2. cap. 14. Luciferiani ut colligitur ex Hieronymo lococitato, videntur docuisse hæreticos, & schismaticos validè conferre sacramenta, sed sine effectu gratiæ, etiam si non sit obex in recipiente, ac Hieronymus refert hæc eorum verba. *Qui peccator est, quomodo potest peccatum mittere? Quomodo Sanctum sacrilegus facit?*

7. Contra hos errores de fide est, & à pluribus concilijs definitum, validum esse sacramentum, quod confertur ab hæretico schismatico, & peccatore, dummodo recipienti qua necessaria adsint, & conferre etiam effectum gratiæ, si non sit obex in recipiente. Probatur primo ex traditione, & consuetudine Ecclesiæ. Ecclesia siquidem à temporibus Apostolorum vsque ad Agrippinum nunquam

quam rebaptizauerat baptizatos ab hæreticis; ergo &c. Hoc argumento ex traditione vsus est Stephanus Papa, rescribens ad Cyprianum, ut ipsemet Cyprianus refert epist. 74. quæ est ad Pompeium. Verba Stephani sunt. *Si quis ergo à quacumque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in penitentiam; cum ipsimet hæretici propriè alterentur ad se venientes non baptizent, sed communicent tantum.* Eodem argumento sæpè vitur Augustinus, ac præsertim lib. 2. de baptismo.

8. Probatur secundo: nam ministri sacramentorum operantur potestate accepta à Deo; sed Deus ministris malis, & hæreticis non aufert potestatem: ergo &c. Probatur minor: nam Deus dat ministris potestatem in bonum Ecclesiæ; sed ad bonum Ecclesiæ spectat, ut hæc potestas non pendeat à fide, & probitate ministri, alioquin omnia pene sacramenta essent incerta, & sequeretur magna confusio; ergo &c. Probatur tertio: nam Deus non aufert malis potestatem iurisdictionis, ideoque Matth. 23. dicitur. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ, & pharisæi: omnia, quæ dixerint vobis, facite &c.* 1. Petri 2. *subditi estote dominis non tantum bonis, sed etiam discoloribus: ergo neque aufert potestatem ordinis, & conficiendi sacramenta.*

9. Ad 1. distinguo minorem: peccatores cum sint immundi, non possunt mundare, & cum careant gratia, non possunt dare gratiam principaliter; concedo; instrumentaliter, nego. Causa instrumentalis potest virtute principalis dare quod non habet, eo pacto, quo instrumentum artis virtute artificis dat formam artificialem, quam non habet, & manus medici, licet sit infirma, virtute artis medicatiæ potest ægroto dare sanitatem, quæ caret manus medici. Dum igitur Ecclesiast. 24. dicitur *ab immundo quid mundabitur?* negatur solum posse aliquem mundari ab immundo, tanquam à causa principali, at potest mundari ab immundo, tanquam à causa instrumentali, operante virtute Christi, qui est mundissimus.

10. Ad 2. Per illa verba, *qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lavatio eius?* Solum significatur, quod nil potest mundari ab immunditia legali contracta per contactum mortui, si quis iterum tangens mortuum contrahit eandem immunditiam, in quo sensu non sunt ad rem pro casu nostro. Christus porro potest baptizare, non solum per ministrum vivum vita gratiæ, sed etiam per mortuum.

11. Ad 3: Distinguo minorem: instrumentum debet esse coniunctum cause principali contactu virtutis, concedo; conjunctione membri vivi cui in capite, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego conjunctionem. Christus non solum potest operari per instrumentum coniunctum, & vivum, sed etiam per instrumentum separatum,

& mortuum, dummodo illud tangat contactu virtutis, eo pacto, quo artifex potest operari, non solum per manum vivam, tanquam per instrumentum coniunctum, sed etiam per instrumentum mortuum, & separatum, puta per malleum, ut docet S. Thomas quæst. 64. art. 5. ad 2. ergo non est mirum, quod Christus non solum possit operari per ministros bonos, tanquam per membra viva, fide, & charitate Christo ut capiti coniuncta, sed etiam per ministros malos, schismaticos, & hæreticos, tanquam per instrumenta præcisa, sed tamen Christo coniuncta contactu virtutis, in quantum habent à Christo virtutem conficiendi sacramenta.

12. Ad 4. Patres dicunt sacramenta ab hæreticis recepta pollui, & esse inutilia, non quia sint invalida, sed quia cum per se illicitum, & sacrilegum sit recipere sacramenta ab hæreticis, vel schismaticis, qui ab illis sacramenta recipiunt, per se, & nisi excusentur ignorantia, vel necessitate, peccant peccato sacrilegij, & ponunt obicem gratiæ, & sic non sanctificantur, neque mundantur, sed polluuntur, & fiunt magis peccatores, ut explicat S. Thomas quæst. 64. art. 9. ad 2.

13. Ad 5. iam dictum est concilia illa, Africana, & Asiatica errasse, ac fuisse reprobata à Romano Pontifice. Videri potest Augustinus lib. 6. & 7. de baptismo, in quibus ex professo refutat concilium Africanum 35. Episcoporum à Cypriano celebratum.

## QVAESTIO LXX XI.

*Virum ministri consecrati mortaliter peccent, si ministrant sacramenta in statu peccati mortalis?*

*S. Th. qu. 64. art. 6.*

1. **V**identur non peccare saltem mortaliter; primo enim peccarent, quia indignè tractarent res sacras; sed etiam laicus existens in peccato mortali, dum ex charitate ministrat sacramentum baptismi infanti perclinanti, tractat indignè res sacras; ergo peccaret; sed laicus non peccat, ut docet S. Thomas hoc art. 6. ad 3. ergo &c.

2. Secundo peccaret etiam mortaliter, quicumque in statu peccati mortalis exerceret opera religionis spectantia ad cultum Dei, quia indignè tractaret res sacras: consequens est falsum, & ab omnibus negatur: ergo &c.

3. Tertio peccaret mortaliter, quicumque in statu peccati mortalis aliquod sacrum officium, quod sibi ex ordine convenit, exqueretur: siquidè tractaret indignè res sacras.

4. Quarto est peccatum communicare scienter alicui in actione peccaminosa; sed qui suscipit sacramentum Eucharistiæ, vel penitentiae à sacerdote, quem scit esse in statu

tu peccati mortalis, communicaret illi scienter in actione peccaminosa: ergo peccaret: quod est falsum, & negatur à S. Thoma hoc art. 6. ad 2.

5. Respondeo, quod ministri, qui deputati sunt, & consecrati ad sacramenta ministranda, per se obligantur ad illa ministranda in statu gratiæ, ac proinde per se mortaliter peccant, si sacramenta ministrant in statu peccati mortalis, vt docet S. Thomas hoc art. 6. & cum eo omnes theologi, & canonistæ, & est communis sententia Sanctorum Patrum, qui videri possunt apud Suarium hic quæst. 16. sect. 3. Definita est autem hæc opinio in iure canonico, vt docet Vasquez disput. 136. cap. 1. num. 12. Gregorius enim 9. cap. ultimo de temporibus ordinationum dicit, *monendos esse sacerdotes, & alios clericos, & sub interminatione diuini iudicij obtestandos, si non pœnituerint, vti in susceptis ordinibus non ministrant, & cap. ultimo de cohabitatione clericorum, & mulierum dicit, quemlibet clericum pro peccato mortali quoad se ipsum esse suspensum.*

6. Probatur conclusio ratione. Nam qui consecratur ad sacramenta ministranda, ideo in consecratione sanctificatur, & accipiunt gratiam, vt sanctè, & in statu gratiæ sacramenta tractent, & ministrant: ergo si non ministrant sanctè, & in statu gratiæ, peccant contra religionem, contra dignitatem sacramenti, contra finem suæ consecrationis, & potestate tradita abutuntur, & sic committunt sacrilegium, & quia materia est gravis, peccant mortaliter.

7. Confirmatur. Nam in lege veteri ad ministranda sacramenta legalia requirebatur sanctitas, & munditia legalis, ideoque Leuita 21. dicitur: *Sancti erunt Deo suo, qui incensum, & panes Dei sui offerunt. Omnis qui habet maculam de semine Aaron sacerdotis non accedat offerre hostias Domini.* Cap. 22. *omnis qui accesserit ad ea, quæ consecrata sunt, in quo est immunditia, peribit coram Deo; & exod. 19. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificantur, ne occidam eos: ergo in lege noua ad ministranda sacramenta requiritur sanctitas, & munditia vera, & spiritualis.*

8. Inferitur præceptum ministrandi sacramenta in statu gratiæ esse non solum ecclesiasticum, vt patet ex verbis relatis Gregorij noni, sed etiam naturale, fundatum in eo, quod ministri, qui in consecratione accipiunt gratiam, vt sacramenta ministrant in statu gratiæ, connaturaliter obligantur ad illa ministranda in statu gratiæ.

9. Ad 1. Durandus in 4. distinct. 5. quæst. 2. num. 6. & alij, quos refert, & sequitur Vasquez disput. 136. cap. 3. concedit, quod etiam minister non consecratus, dum in casu necessitatis ministrat sacramentum baptismi e. g. per se tenetur illud ministrare in statu gratiæ, ac si ministrat in statu peccati mortalis, peccat mortaliter, tractans indignè res

sacras, ac solum potest excusari, si in statu necessitate non habeat tempus constituendo se in statu gratiæ. Probabilius est ministrum non consecratum non habere hanc obligationem, vt docet S. Thomas hoc art. 6. ad 1. & alij, quos refert, & sequitur Suarius disput. 16. sect. 4. Ratio est, quia opera charitatis, & religionis, ad quæ quis non est specialiter consecratus, possunt, ac debent fieri etiam ad hunc finem, vt quis per ea se disponat ad obtinendam remissionem peccati mortalis, iuxta illud Danielis 4. *peccata tua elemosinis redime;* ergo cum fiunt reuerenter, & cum motiuo honesto, non tractantur indignè sacra; ergo idem dicendum de sacramentis, cum conferuntur ex charitate à ministris non consecratis, imo vt docet S. Thomas hoc art. 6. etiam à ministris consecratis, cum illa ministrant, non ex officio, sed ex charitate in casu, in quo etiam laicus posset sacramentum ministrare. Confirmatur: nam etiam præceptum Ecclesiasticum latum est pro solum ministris consecratis. Hinc inferunt eos, qui contrahunt matrimonium in statu peccati mortalis, peccare mortaliter, quia suscipiunt sacramentum indignè, & cum obice gratiæ, ac non peccare, quia ministrant in statu peccati, cum non fiat specialiter consecrati ad ministrandum sacramentum matrimonij.

10. Ad 2. Patet ex dictis. Nam opera charitatis, & religionis cum possint exerceri etiam ad obtinendam remissionem peccati mortalis, non habent annexam obligationem illa exercendi in statu gratiæ.

11. Ad 3. S. Thomas in 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 3. quæst. 5. concedit sequelam, & statuit hanc regulam vniuersalem, quod peccat mortaliter peccato sacrilegij, quicumque aliquid sacrum officium, quod illi ex ordine competit, in statu peccati mortalis exequitur, quia tractat indignè res sacras, & Sanctum Doctorem sequuntur Caietanus, Syluester, & alij. Hinc inferunt Diaconum, & Subdiaconum, si canant publicè epistolam, vel Euangelium in statu peccati mortalis peccare mortaliter; eos etiam, qui habent ordines minores, peccare mortaliter, si actiones minorum ordinum exercent in statu peccati mortalis; peccare etiam mortaliter Episcopum, si conferat primam tonsuram, consecret ecclesiam, ac benedicat vestes sacras in statu peccati mortalis. Addunt aliqui peccare mortaliter concionatorem, si concionetur in statu peccati mortalis, vt reseruat Augustinus lib. 2. contra Parmenianum, cap. 11. E conuerso Dominicus Sotus in 4. distinct. 1. quæst. 5. art. 6. & distinct. 4. quæst. 1. art. 4. existimat non esse peccatum mortale tales actiones in statu peccati mortalis exercere, quia cum non sint tam sanctæ, sicut actiones, quibus conficiuntur sacramenta, non videtur gravis irreuerentia illas exercere in statu peccati mortalis. Ego

existimo ministros dum ordinantur, & consecrantur, vna cum gratia accipere obligationem exercendi actiones sacras sui officij in statu gratiæ. Ratio est, quia accipiunt gratiam specialiter ad hunc finem. Et confirmatur: nam Gregorius IX. loco supracitato dicit monendos esse sacerdotes, & alios clericos, & sub interminatione diuini iudicij obtestandos, vt si non poenituerint, in susceptis ordinibus non ministrent: ergo existimat dari obligationem exercendi ministeria ordinum in statu gratiæ. Probabile tamen est dari leuitatem materiæ, propter quam exercere aliquas actiones ordinum, quæ actiones minoris sint momenti, in statu peccati mortalis, non sit peccatum mortale, sed solum veniale. Videri potest Suarius disput. 16. sect. 6. & Valquez disput. 126. cap. 4.

12. Ad 4. distinguo maiorem: est peccatum communicare alicui in actione per se peccaminosa, concedo; per accidens peccaminosa, nego; distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Actio peccaminosa per se est, quæ est illicita per se, vel saltem non potest ab altero hic, & nunc exerceri sine peccato. Actio peccaminosa solum per accidens est, quæ potest ab altero exerceri sine peccato, licet de facto exerceatur cum peccato. Cum quis suscipit, & petit sacramentum à ministro existente in peccato mortali, communicat in actione solum per accidens peccaminosa, quia posset minister, præmissa contritione, vel confessione, licite illam actionem exercere, & sic non peccare. Addo, quod cum aliquis præuidet ministrum daturum sibi sacramentum in statu peccati, & potest commodè impedire hoc peccatum, petendo sacramentum ab alio ministro, lege charitatis tenetur impedire. Videri potest Suarius disput. 18. sect. 1.

QVÆSTIO LXXXII.

*Virum ministri teneantur non dare sacramenta indignis?*

1. Videntur non teneri. Christus enim de facto dedit sacramentum Eucharistiæ ludæ, vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 71. art. 2. sed sciebat ludam esse indignum: ergo &c.

2. Respondeo per duas conclusiones. Prima est: minister sacramenti per se loquendo habet speciale præceptum non ministrandi sacramenta indignis, ac proinde si sciens, & volens sacramenta ministrat indignis, per se mortaliter peccat peccato sacrilegij. Ideo Christus Matth. 7. dixit: nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas ante porcos. Ratio est, quia minister debet sacramenta ministrare prudenter; sed si ministrat

indignis, ministrat imprudenter: ergo peccat peccato sacrilegij contra sanctitatem sacramenti, etiamsi sit minister non specialiter consecratus.

3. Secunda conclusio est: minister sacramenti potest per accidens ad vitandum scandalum, & iniustam proximi infamationem ministrare sacramentum indigno, vt docent omnes, & vt efficaciter probatur exemplo Christi, qui ministravit Eucharistiam ludæ, sciens illum esse indignum. Ratio est, quia concurrunt duo præcepta, præualet illud, quod magis vrget, & pro eo casu cessat obligatio alterius præcepti, vt patet innumeris exemplis; sed magis vrget præceptum vitandi scandalum, & non infamandi proximum iniuste, quam præceptum non ministrandi sacramentum indigno: ergo &c. Hinc sequitur peccatori occulto non esse negandam eucharistiam, si publicè ad illam accedat, secus si solus, itaut possit illi negari sine scandalo, & infamatione. Minister porrigens sacramentum indigno ad vitandum scandalum, non cooperatur peccato suscipientis, quia ex iusta causa facit actionem ex se indifferentem: siquidem suscipiens potest sumere dignè, & per ipsum stat, quod non sumit dignè.

4. Inferitur catholicum, qui ducit uxorem hæreticam, per se peccare peccato sacrilegij etiam ex hoc capite, quia ministrat sacramentum indigno. Potest tamen catholicus ex magna causa, puta ex spe conuertendi coniugem cum ingenti bono Ecclesiæ, ducere uxorem hæreticam, vel catholicam, ducere maritum hæreticum, & in eo casu catholicus ministrans sacramentum facit actionem ex se indifferentem. Nam posset alter coniux conuerti ad fidem, & per contritionem iustificari, & recipere sacramentum dignè.

5. Ad argumentum in contrarium patet ex dictis.

TRACTATUS X.

*De intentione requisita in recipiente sacramentum, ac de septenario numero sacramentorum.*

QVÆSTIO LXXXIII.

*Virum ad recipienda sacramenta valide, & cum effectu, requiratur aliqua dispositio ex parte recipientis?*

1. Videntur non requiri. Florentinū enim in instructione Armenorum enumerans

rans necessaria ad valorem sacramenti, enumerat solum tria, nimirum materiam, formam, & ministrum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; sed si requireretur aliqua dispositio ex parte recipientis, debuisset etiam illam enumerare, vt quartum requisitum; ergo &c.

2. Respondeo, quod cum egerimus de causa efficiente, sequitur vt agamus de causa materiali, hoc est de subiecto capaci sacramenti, & de dispositione requisita ex parte subiecti ad sacramentum validè, & cum effectu gratiæ recipiendum.

3. Queritur igitur primo, quinam sint capaces sacramentorum.

Respondeo solos homines viatores esse capaces sacramentorum. Ratio est, quia cum sacramenta sint instituta pro hominibus ad gratiam primo conferendam, & augendam; soli homines sunt capaces sacramentorum, & pro eo solum statu, in quo possint recipere gratiam, vel eius augmentum; sed solum pro statu viæ possunt de lege ordinaria recipere primam gratiam, vel eius augmentum; ergo &c.

4. Queritur secundo, vtrum omnes viatores sint capaces sacramentorum?

Respondeo, quod trium sacramentorum, nimirum baptismi, confirmationis, & Eucharistiæ sunt capaces omnes viatores, dummodo physicè possint recipere actiones sacramentales: & quia infantes cum sunt omninò clausi in utero matrum, non possunt physicè abluì, non sunt capaces baptismi, ac proindè nec vllius alterius sacramenti, cum nullum sacramentum possit validè recipi à non baptizatis. Sacramenti ordinis capaces sunt soli male uili: sacramenti poenitentiae capaces sunt ij solum, qui post baptismum peccarunt: & quia Beata Virgo nullum habuit peccatum, fuit incapax sacramenti poenitentiae. Fuit tamen capax baptismi, & de facto fuit baptizata, quia fuit capax regenerationis spiritualis. Extremæ vntionis capaces sunt soli ægrotantes, & ideo damnati ad mortem, & iamiam morituri, nisi ægrotent, sunt incapaces extremæ vntionis.

5. Queritur tertio, vtrum ad recipiendum sacramentum requiratur aliqua dispositio recipientis?

Respondeo certam esse, quod in paruulis, & adultis qui nunquam habuerunt vsu rationis, ad recipiendum validè, & cum effectu gratiæ sanctificantis baptismum, & alia sacramenta, quorum sunt capaces, nulla requiritur dispositio. Dubitatur de adultis, qui habent, vel habuerunt vsu rationis. Caietanus 3. p. quæst. 68. art. 7. docuit in illis ad validè recipiendum baptismum, non requiri vllam dispositionem, ne intentionem quidem, sed sufficere, vt non habeant voluntatem contrariam. Glossa cap. solet de consecrat. dist. 4. docet sufficere intentionem

baptizantis, etiamsi quis baptizetur inuitatus.

6. Dicendum cum Sancto Thoma 3. p. qu. 68. art. 7. quem sequuntur communiter theologi: in adultis, qui habent, vel habuerunt vsu rationis, ad validè suscipiendum baptismum, requiri intentionem saltem interpretatiuam recipiendi baptismum; idemque proportionaliter dic de alijs sacramentis.

7. Probatur primo ex Concilio Carthaginiensi 3. cap. 24. Arausicano 1. cap. 12. et Innocentio 3. cap. maiores de baptismo, vbi dicitur: *Ille verò, qui nunquam consensit, sed penitus contradidit, nec rem, nec characterem suscipit sacramenti*; ex Augustino lib. 4. de baptismo cap. 24. & lib. 7. cap. 3. vbi dicit, quod quia paruulus non est capax propriæ intentionis sufficit illi intentio Ecclesiæ, ac Christi; quia adultus est capax propriæ intentionis, non sufficit illi intentio aliena.

8. Probatur secundo. Nam Matth. 23. dicitur: *Euntes docete omnes gentes baptizari eos*: sed non ex alia ratione ad baptismum prærequiritur doctrina, nisi quia debet voluntariè suscipi ab adultis, ergo &c. Confirmatur. Nam sicuti fides debet voluntariè suscipi, sic baptismus, qui est sacramentum fidei. Sufficit tamen in recipiente intentio interpretatiua, ideoque qui vult baptizari, & hanc voluntatem non retinet, si baptizetur dormiens, validè baptizatur. Ad extremam vntionem validè recipiendum videtur sufficere generalis illa voluntas, qua vnusquisque fidelis vult frui omnibus sacramentis Ecclesiæ.

9. Queritur quarto, vtrum ad valorem sacramenti requiratur fides suscipientis?

Respondeo ad valorem sacramenti imperimentis characterem sufficere, vt recipienti habeat intentionem recipiendi sacramentum, nec requiri fidem, vel vllam aliam dispositionem. Probatur. Nam heretici baptizati confirmati, & ordinati ab alijs hereticis non rebaptizantur &c. ergo sine vera fide validè recipiunt hæc tria sacramenta cum suis characteribus, licet non recipiant effectum primarium gratiæ sanctificantis. Hinc sequuntur dicta sacramenta posse esse valida, & informia, ita vt non conferant effectum primarium gratiæ sanctificantis. Videri potest Augustinus lib. 2. contra Petilianum, cap. 16. & lib. 2. baptizandis rudibus, cap. 17. Sacramentum etiam matrimonij sine fide validè sumitur ab hereticis, ac proindè potest esse validum, & informe. De alijs sacramentis agitur suis locis.

10. Queritur quinto, vtrum ad recipiendum sacramenta cum effectu, hoc est ita, vt causent gratiam, prærequiratur in suscipiente status gratiæ?

Respondeo duo sacramenta mortuorum hoc est baptismum, & poenitentiam, non prærequirere in recipiente statum gratiæ, alij quinque sacramenta viuorum prærequirere statum gratiæ. Ratio est, quia sacramenta quæ per se ordinantur ad auferendum peccatum

tum originale, & peccata personalia mortalia, cum per se ordinentur ad producendam primam gratiam, non prærequirunt in subiecto statum gratiæ; sed baptismus per se ordinatur ad auferendum peccatum originale, & omnia peccata personalia commissa ante baptismum; sacramentum pœnitentiæ per se ordinatur ad auferenda peccata etiam mortalia, commissa post baptismum: ergo &c. Hinc rejicitur opinio dicentium ad suscipiendum baptismum, & sacramentum pœnitentiæ prærequiri perfectam contritionem. Cum enim contritio perfecta constituat hominem in statu gratiæ, si ad suscipienda hæc duo sacramenta præquireretur contritio perfecta, præquireretur status gratiæ, & sic nõ essent sacramenta mortuorum, sed viuorum, cum non possent per se recipi nisi à viuentibus vita gratiæ. Ad alia quinque sacramenta viuorum cum supponant statum gratiæ, & per se ordinentur ad gratiam augendam, per se prærequiritur status gratiæ. Ut tamen sacramenta baptismi, & pœnitentiæ conferant primam gratiam adultis habentibus peccata mortalia personalia, prærequiruntur fides, & attritio, ut dispositiones suscipientis. Ratio est, quia Deus ex lege infallibili nemini remittit peccata ab ipso commissa, nisi illa retractet, saltem per actum attritionis supernaturalis; sed talis actus attritionis non potest fieri, nisi ex fide, & spe: ergo &c. Videri potest Suarius disput. 14.

11. Ad argumentum in contrarium Concilium Florentinum enumerat solum necessariam in quolibet recipiente ad validam receptionem sacramenti; & quia in paruulis sufficit materia, forma, & minister cum debita intentione, enumerat solum hæc tria, & non enumerat intentionem suscipientis, licet in adultis etiam hæc sit necessaria.

## QUÆSTIO LXXXIV.

*Virum sacramenta sint septem, & quo pacto ordinentur, & comparentur, & sint ad salutem necessaria?*

*S. Thom. qu. 65.*

1. Videntur non esse septem: primo, quia numerus septenarius sacramentorum non colligitur ex Scriptura: ergo &c.

2. Secundo Patres aliquando mentionem faciunt duorum tantum, aut trium sacramentorum: ergo &c.

3. Tertio iidem Patres aliquando sacramenta vocant signum crucis, panem benedictum, exorcismata, & exufflationes præcedentes baptismum, aquam benedictam, lotionem, qua Christus lauit pedes discipulorum: ergo sacramenta sunt plura, quam septem.

4. Quarto Ordines sunt septem; sed sin-

guli sunt sacramenta; ergo septem sunt sacramenta ordinis. Eucharistia sub specie panis est sacramentum, sub specie etiam vini est sacramentum; ergo duo sunt sacramenta Eucharistiæ; ergo sacramenta sunt plura, quam septem.

5. Respondeo Sanctum Thomam qu. 65. quæ est vltima de sacramentis in genere, per quatuor articulos agere de numero, ordine, & comparatione, ac necessitate sacramentorum.

Circa numerum sacramentorum, de quo Sanctus Thomas agit art. 1. hæretici recentiores dicunt sacramenta nouæ legis esse pauciora, quam septem, sed non conueniunt in assignando, quot, & quæ sint. Lutherus aliquando ponit solum baptismum; alij ponunt duo tantum, hoc est baptismum, & Eucharistiam; plerique Lutherani in suis catechismis ponunt tria, hoc est baptismum, Eucharistiam, & pœnitentiæ; Zuinglius ponit baptismum, cœnam, & matrimonium; Calvinus aliquando ponit baptismum, cœnam, & ordinationem. Alij dicunt sacramenta esse plura, quam septem, ex quibusdam locis Augustini malè intellectus. Non desunt, qui dicunt tria esse sacramenta ordinis, subdiaconatum, diaconatum, & sacerdotium, ac duo esse sacramenta Eucharistiæ, alterum permanens, alterum transiens, & consistens in vsu; vel alterum sub specie panis, alterum sub specie vini.

Contra hos errores de fide est, ac definitum à Florentino in instructione Armenorum, & à Tridentino sess. 7. can. 1. septem tantum esse nouæ legis sacramenta.

6. Probatum primo ex Scriptura, ex qua colliguntur septem tantum sacramenta. Secundo probatur ex perpetua traditione Ecclesiæ græcæ, & latinæ, Orientalis, & Occidentalis. Tertio probatur ex Patribus, & Scholasticis qui videri possunt apud Bellarm. lib. de sacramentis cap. 23.

7. Septenarius numerus sacramentorum probatur etiam ex varijs congruentijs, quas affert S. Thomas hac quæst. 65. artic. 1. & 4. & lib. 4. contra gentes, cap. 58. Prima, & præcipua desumitur ex proportionem vitæ spiritualis cum corporali. Ad vitam enim corporalem requiruntur septem, quinque ex parte singulorum, duo ex parte Reipublicæ. Ex parte singulorum requiritur primo generatio; secundo augmentatio; Tertio nutritio. Et quia homines utpotè passibiles, sæpè ægrotant, quarto requiruntur remedia contra morbos, quinto remedia contra reliquias morborum. Ex parte reipublicæ requiritur propagatio per generationem proles, & regimen per creationem magistratum; ergo proportionaliter ad vitam spiritualem requiruntur septem, quinque ex parte singulorum, & duo ex parte reipublicæ. Ex parte singulorum requiritur primo baptismus, per quem spiritualiter regeneratur; secundo con-

confirmatio, per quam augetur, & confirmatur: tertio Eucharistia, qua spiritualiter nutritur; quarto poenitentia, qua sanatur ex morbis peccatorum: quinto extrema unctio, qua sanatur ex reliquijs morborum, iuxta illud Iacobi 5. *Et si in peccatis sit, dimittentur ei*: sexto in ordine ad Rempublicam requiritur matrimonium, quo propagantur filij, per quos conseruatur Respublica Christiana: & ordo, quo creantur spirituales ministri, & magistratus, à quibus Ecclesia regitur. Alia congruentia videri possunt apud S. Thomam locis citatis, & apud Bellarminum lib. 2. de sacram. cap. 26.

8. Articulo secundo Sanctus Thomas agit de ordine sacramentorum, ac docet sacramenta bene numerari hoc ordine, baptismus, confirmatio, eucharistia, poenitentia, extrema unctio, ordo, & matrimonium. Nam quia naturaliter vnum est prius multitudine, quinque sacramenta, quæ ordinantur ad perfectionem singulorum, prius enumerari debent, quam ordo, & matrimonium, quæ ordiuntur ad perfectionem multitudinis; sed ordo per se ordinatur ad propagationem spirituales Ecclesie, matrimonium ad propagationem carnalem; ergo vltimum sacramentum est matrimonium, sextum est ordo; sed baptismus, confirmatio, & eucharistia, cum per se ordinantur ad hominem spiritualiter generandum, augendum, & nutriendum, sunt per se priora poenitentia, & extrema unctio, quæ per se ordinantur ad auferendum accidens nocivum superueniens, hoc est peccatum; ergo, Quartum sacramentum est poenitentia, quæ ordinatur ad hominem sanandum à peccato: quintum est extrema unctio, quæ ordinatur ad perficiendam sanitatem, auferendo reliquias peccatorum; sed generatio est prior augmentatione, & augmentatio est prior nutritione dante vltimam perfectionem vitæ spiritualis: ergo primum sacramentum est baptismus, quo regeneramur; secundum confirmatio, qua augemur in virum perfectum; tertium est eucharistia, qua spiritualiter nutrimur, & acquirimus vltimam perfectionem.

9. Articulo tertio Sanctus Thom. comparat sacramenta inter se, ac docet absolute loquendo eucharistiam esse potissimum sacramentorum. Prima, & præcipua ratio est, quia in sacramento eucharistie est substantialiter ipse Christus fons gratiæ, in alijs sacramentis est solum virtus quædam instrumentalis causandi gratiam participatam à Christo; sed quod continet Christum fontem gratiæ est simpliciter dignius, quam quod continet solum aliquam participationem virtutis Christi: ergo &c. Addit, quod licet eucharistia simpliciter, & absolute excellat cœ-

tera sacramenta, etiam baptismum, tamen singula sacramenta sub diuersis rationibus comparantur inuicem, sicut mutuo se excedunt, & excessa, & præsertim baptismus excedit omnia alia sacramenta ratione necessitatis, & virtutis auferendi peccatum, cum auferat originale, & omnia personalia quoad culpam, & poenam.

10. Articulo quarto Sanctus Thomas agit de necessitate sacramentorum, ac docet, nimirum baptismum, poenitentiam, & ordinem esse simpliciter necessaria ad salutem, ut vt sine ipsis non possit obtineri salus. Baptismus igitur in re, vel in voto est simpliciter necessarius singulis, quia nemo sine baptismo, vel sine voto baptismi potest liberari à peccato originali, & consequi salutem. Ex proportionali ratione poenitentia est simpliciter necessaria singulis, qui post baptismum peccatum mortaliter. Ordo est simpliciter necessarius non singulis, sed toti Ecclesie, quia sine ordine non potest obtineri sacramentum poenitentia, & rursus vt dicitur Proverb. 11. *tibi non est gubernatio, corrumpet populum*. Alia quatuor sacramenta sunt necessaria, non simpliciter, sed ad bene esse, quia sine illis non potest conuenienter obtineri finis, eo pacto, quo equus est ad faciendum iter necessarius viro nobili, non simpliciter, sed ad bene esse. Confirmatio enim quodammodo perficit baptismum, extrema unctio perficit poenitentiam, eucharistia perficit omnia sacramenta, matrimonium conducit ad conseruandam Ecclesiam per debitam propagationem proles.

11. Ad 1. Licet Scriptura non dicat expresse sacramenta esse tantum septem, tamen singula septem colliguntur ex Scriptura, & traditio Ecclesie septem tantum admittit.

12. Ad 2. Patres licet aliquando mentionem faciant duorum tantum, vel trium sacramentorum, tamen alia non excludunt, imo multis in locis includunt.

13. Ad 3. Patres dum aliquando vocant nomine sacramenti signum crucis &c. nomen sacramenti sumunt latius, in quantum significat quoddam signum rei sacræ, vt explicatum est quæst. 48.

14. Ad 4. Sicut licet singula membra hominis sint corpus, tamen homo non constituitur ex pluribus corporibus, quia membra illa ordinantur ad constituendum vnum perfectum corpus humanum; sic licet singuli ordinati sint sacramentum, tamen non sunt septem sacramenta ordinis, quia constituunt vnum perfectum sacramentum ordinis. Proportionaliter quia species panis, & vini ordinantur ad constituendum vnum perfectum sacramentum Eucharistie, non sunt duo sacramenta, sed vnum, vt explicatur, cum agitur de sacramentis Eucharistie, & ordinis.